

**Historia vitae et meritorvm Frederici Rvysch / Auctore Ioanne Friderico Schreiber.**

**Contributors**

Schreiber, Johann Friedrich, 1705-1760.

**Publication/Creation**

Amstelaedami : Apud Janssonio-Waesbergios, 1732.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/xfpxpyr9>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>








4-12-12/C

SCHREIBER, Johann Friedrich



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30409986>











*En tibi RUYSCHEADES qui tot miracula rerum  
Corpore inhumano conspicienda cecit,  
Spectator gratare viro, qui tempore nullo,  
Pro meritis gratas non agit ipse DEO.*

*D. H. H. H. H.*



HISTORIA  
VITAE

ET

MERITORVM  
FREDERICI RVYSCH. <sup>7½</sup>

Auctore

*IOANNE FRIDERICO SCHREIBERO.*



*AMSTELÆDAMI,*

Apud *JANSSONIO-WAESBERGIOS.*

M. D. CCXXXII.



19169

HISTORIA

VITALIS

MERITORVM

FREDERICI RYSSCHII



APUD JANSONIO - WASSERGIOR

M. D. CCXXII







## L. S.

**Q**uodsi studia mea, atque  
inde animi mei propensio-  
nes cognouisti; miraberis  
forte hanc, de describendis vita ac  
meritis R V Y S C Hianis, tamquam  
adceleratam sententiam. Neque  
mibi blandior, me Historici offi-  
cium ubique impleuisse. Forte quo-  
que talem titulum nec omnino ad-  
fecto. Verum tamen placuit, sic  
fallere tempus, a facienda medici-  
na,



## AD LECTOREM.

*na, seuerioribusque studiis reli-  
quum. Neque id factum, sine sin-  
gulari quodam meo fructu: nec ca-  
rebit omni apud Te. Fida namque  
uerorum meritorum historia aliis  
conatus infundit similes; non dele-  
bilem mortuorum memoriam im-  
primit posteris; paucis saepius com-  
plectitur multa; atque in memo-  
riam quandoque reuocat, quorum  
oblitos uideas magnos, sua in arte,  
uiros. Quin &, debere me tale  
quid R V Y S C H i a n i s manibus,  
mibi uisus sum; idque non uno no-  
mine. Quos enim omnium primos,  
faciundo medicinam, lucratus sum  
numos,*



# AD LECTOREM.

*numos, perpaucos illos licet; eos tamen certe gratus debebam*  
R V Y S C H I O. *Hoc enim praecipue auctore, Saandamum, immitem mehercle! erudito locum, olim concesseram, aegris laturus auxilia. Tum & tenet Societas Petropolitana, inter rarissima sua, R V Y S C H I A N O S sic dictos thesauros, ac uere tales; seruatos Petroburgi, inque dies auctos; ac hodie quidem incomparabili munificentia Serenissimae nostrae IMPERATRICIS, ANNAE JOANNOVVNAE. Atque quum Eidem Societati debeam*  
\* 3 *plu-*



## AD LECTOREM.

*plurimum; facere liceat Eius nomine, quod gratitudinis speciem habere possit apud nonnullos. Plura, mi Lector, circa hoc institutum meum, ad Te non spectant, nisi, quod ita exsequi studuerim id, cuius de se, sed per ludibrium, spem fecerat* JOANNES JACOBVS RAV, Rvyschiano nomini aliquantum hostis, se defensorum scilicet, post fata, Rvyschium, si modo relicturus esset gesta, memoria ac fide digna (1). *De eo certus sum, me ostendisse magnum fuisse Virum,*

Rvysch.

(1) Vid. Eius responsio ad qualemcumque defensionem F. Rvysch.



## AD LECTOREM.

**R V Y S C H I U M.** Quare & iure nullus dubitavit **R U Y S C H**, bene gestorum sibi conscius, propositique sui usque tenax; honestos, sua post fata, repertum iri homines, qui **R V Y S C H I I** scripta, pro merito, defensuri sint (II). Ceteroquin, uti nemini inimicum, ita profecto **R U Y S C H I O** praecipue amicum esse, satis in his studui. Jam, qui summi **R V Y S C H I I** conatus nec superare, nec adaequare uales; adeo caram mihi **R U Y S C H I I** memoriam intemeratam ut linguas, impense Te oro; inuentaue Viri in augmentum

(II) Vid. responsio ad epist. XII.



# AD LECTOREM.

*mentum scientiarum artisque me-*  
*dicae ut adhibeas, sincero animo*  
*opto. Vale. D. Rigae. A. P. C. N.*  
**∞ IO CCXXXII.**

**J. F. S.**

**HISTO-**



1

# HISTORIA

## VITAE ET

### MERITORVM

### FREDERICI RVYSCH.



FREDERICVS RVYSCH natus est *Hagae Comitum*, A. P. C. N. ∞ 10CXXXIIX. D. XXIII. *Martii*; *patre*, HENRICO, cognomine, qui a *Commissionibus summorum Status Belgici Administrorum* fuit; *matre* vero, ANNA *uan BERGHEM*. Quae puero adolescentique propensiones; quis ardor, fuerint; ignotum mihi. Nec heic quidem nosse multum refert. Dumque alii *Scriptores*, circa adolescentem aetatem PASCALI, VARIGNONI LEIBNITZI atque NEWTONI, miraculis proxima quae narrent, habent plurima; mihi tamen eadem illa *magui RVYSCHII* aetas talismodi nihil dedit praedicandum. Aliud enim *Noster* sectatus est studiorum genus, in quo quidem intellectus magnitudinem haud adeo metiri solemus. Ita tamen nobiscum natura comparatum est, ut tenellae aetati adolescentique impressae notiones, nimisque commendati siue adpetitus, siue auersationes, in uirili aetate, atque uel ipsa decrepita, nondum plane euulsi, sua inquiringibus monstrare soleant uestigia. Qui



iam RVYSCHIVM nouerunt uirum, senemque, piissimum, laboris cuiuscumque tenacissimum; sique uitia nonnulla, sine quibus nemo est, & senectutis forte comites, mente subtraxeris; modestum omnino: ii intelligent, RVYSCHIVM puerum probe eductum, adolescentemque pietati, probis moribus, studiisque seueram dicasse operam. Id constat, *Eundem, Medicinae cupidine ductum, relicta urbe patria, Leidam properasse, ubi iam tum Medicina tota, Anatome atque Botanica in primis excolebantur, quasi gentilitiae Praeceptore ibidem utebatur, quem nominat Ipse laudatque, IOANNE uan HORNE, insigni tunc Anatomico, cui ipse IOANNES SWAMMERDAM conatum suorum, fere omnium, perfectionem debuit* (I). Talis Doctor, qui, teste *Eodem* (II), aliquantum callebat artes, a *Nostro* olim in immensum augendas, contingere debebat, diuina prouidentia, RVYSCHIO! Hic autem magistrum suum in his imitari; in aliis mox uincere. Indetecta *uan HORNEI* in RVYSCHIVM odia, *quoties adolescens hic Anatomicus euoluta epata, siccitasque aere diuersi ordinis uasorum ualuulas ostenderet* (III). Praeter incredibilem illum amorem in Anatomem, alium quoque innatum sibi sensit in plantas. Has ergo indefessus indagabat *Lugduni Batauorum*; nequicquam curans taedia, quae *πίζοτοποις* frequenter imminere solent; saepiusque, *durae adsuetus vitae, aquam ex ripis pileo hausit, ut sitim exstingueret fessus, per arida sabuleta ambulans; quum reliqui studiosi, socii Botanici, uina, patriae studio mollia reddita, in proximo hospitio delibare mallent* (IIII). En! primordia studiorum medicorum RVYSCHIANORUM iam, *Lugduno relicto, Franequeram* adpulit, ubi in salutari arte, breui, adeo profecit, ut *Doctoris Medici* & titulum & honores ibi mox adeptus sit. Disputauit uero, ut

uc-

(I) *In not: in prodrom: Io: uan HORNE p. 37.*(II) *l: c: C: III.*(III) *Ex ore Beati. IOANNES CHRISTOPHORVS BOHLIVS in epistola, ad me data, Regiomonte.*(IIII) *Ex ore Beati. BOHLIVS in eadem epist.*



uocant, *pro gradu, de pleuritide* (v). Iam; uti sola utilia ardentem sectari usque solebat, ceteris, quorum obscurus ei usus, parum quaesitis; ita & iuuenis, quas didicerat, artes in bonum patriae uersurus, scientias reliquas; ad Medicinam adeo non spectantes, haud multum, ut ex scriptis *Viri* cernere est, curae habebat, *Hagamque Comitum* mox redibat Medicus, aegris domesticis studiorum suorum praestantiam commendaturus, atque utilitatem. Vix redux in patriam; uel, quod communem de coniuge, Medico tantopere necessaria, amaret sententiam; uel, alia de causa; iuuenis certe, quatuor ac uiginti annos nondum omnino numerans, A. P. C. N. ∞ IO CLXI. D. IIII. *Decembris*, uxorem sibi duxit uirginem; siue diuitem; siue formosam; siue animi dotibus insignem; siue minus; *MARIAM*, filiam *PETRI POST*, *Architecti* *FREDERICO HENRICO*, *Arausionum atque Nassouii Serenissimo Principi* celeberrimi. Frustra ergo contendunt rigorosi amabilis sexus hostes, dedecere eruditum dies noctesque, quo artem uel scientiam suam promoueat, studiis suis uacaturum, ut, celebrato coniugio, irreparabile cum uxore turpiter perdat tempus. *Rvysch* certe, quo, per omnem aetatem, laboriosior esse poterat nemo, non cum uxore carum consumsit tempus, sed continui grauisque laboris taedia, optatissimi coniugii dulcedine, leniuit. Foecunda uxor plures marito peperit liberos: marem unicum, atque puellas. Ac filium quidem *HENRICUM*; postea *Doctorem Medicum*, amatum omnibus *Clinicum*; *historiae naturalis peritissimum*; *Botanicum*, suo tempore, in *Belgio* fere principem, atque adeo, ut ipse aduersarius *IOANNES IACOBVS RAV* scripserit (vi), *patrem a filio iuuari aliquando, quando in horto Medico praelegit*; opere *IOANNIS IONSTONI*, *de historia animalium*, rursus edito auctoque, clarissimum, *ab ipso Parente in gloriae societatem, circa inuentionem artificii, praeparandi ac*

A 2

con-

(v) *BOHLIVS in citatis litteris:*(vi) *V. responsio ad qualemcumque defensionem F. RVYSCH.*



*conseruandi cadauera, adscitum (VII); auctorem forsitan, saltim multarum, elegantissimarum obseruationum Anatomico-Chirurgicarum, quibus, anno nonagesimo elapsi saeculi impressis, paternum nomen praefixum constat (IIX); qui- que, gloriae paternae intentus, a patre detectae in oculo membranae Ruyshianae nomen proposuit (IX); ἐπιδημία febrili, A. P. C. N. ∞ 10 CC XXVII. grassante per Belgium; quum aliquanto ante spirantium cadauerum, & ex terra saepius haustorum, foetorem amplius perferre non posset (X), mense Octobre, Amstaelredami defunctum. Atque hac tempestate decrepitis iam Ruysh, iam diu viduus, obitum filii, qui fidissima toties suppeditarat haesitanti patri consilia, sentiebat moestissimum. Solabatur Ipsum tamen considerata uiuendi ratio, quam, a nato habitam, paternis uotis non omnino respondentem, deplorauerat. Erant illa talia, quae, ubi de mortuis sermo est, sapientes tegere potius solemus. Semper enim conducit magis, proponere, quae sequaris, quam, quae uites. Solabatur Patrem natu inter filias minima, nondum maritata, constans, usque dum uiuere desineret senex, omnis laboris Anatomici, animosaeque socia. Erat enim paternorum, circa plantas atque cadauera, artificiorum, nec non omnium corporis humani partium gnarissima.*

*H. Hagae Comitum igitur Ruyshius fuit cadauerum humanorum atque brutorum scrutator indefessus, adcuratusque eorum omnium, quae aegris, Ipsi commissis, contingebant, obseruator. Atque ita nascebatur primus Ejus libellus Anatomicus, sed elegantissimus, titulo: Dilucidatio ualuularum in uasis lymphaticis & lacteis; Hagae Comitum A. P. C. N. ∞ 10 CLXV. in 12<sup>mo</sup>. editus. Talis scriptio, in qua & moderationem animi erga temerarium L.*

DO.

(VII) Vid. responsio ad epist. probl. III.

(VIII) BOHLIUS in citata epistola. An omnino ex ore Beati?

(IX) Vid. responsio F. R. VYSCHE ad epist. probl. XIII.

(X) BOHLIUS l. c.



DOVICVM de BILS suspicias, nouis inuentis utique amabilis, effecit sine dubio sola, ut, anno fequente, a CONSVLIBVS *Amstaelredamensibus Amstaelredamum* uocaretur Professor Anatomes. Exoptatissimam spartam laetus capiebat *Noster*; urbem petebat illico, ibidemque per quinque ac sexaginta annos uitam egit, ad supremum usque diem. Tanti nominis, ciuitas, in qua fere nemo miser, honores, diuitias, atque aeternitatem nominis destinarat RVVVSCHIO. Renouatum ibi in inquirenda corpora animantia ardorem auxit, successu ualde felici. Quo nec carere ullo poterat modo. Etenim cogita, exercitatum Anatomicum in urbe, effraenibus hominibus, libertatem in licentiam nimis saepe uertentibus, adfluente omnia occisa aperire cadauera; atque tot cotidie exstinctorum morbis scalpello suo semper exposita habere in nosocomiis; insuperque *canes, uaccas, nitulos, oues, boues, equos dissecare atque balaenas*; considera, *Eundem occasiones datas negligere numquam; noctu atque interdium uisere aegros, & ad primam auroram perscrutari cadauera* (I); *Illum Tibi* finge adeo laboriosum, ut *Eidem numquam nimis mane luceat sol; semper uesperascat ocyus, quam uellet; adeo scilicet submersum cotidianis in praxi medica & Anatome occupationibus* (II); atque, ultra omnem expectationem, puta ulterius, *Eundem, ANDREAE VESALII quodammodo aemulum, intempesta nocte, sordida Ipsum indutum ueste, uespillones comitari noctu, ut sandapilas ipsi aperiant, quo mortuorum status addiscat* (III); memineris amplius, *Eundem* omnibus, quibus praecipui Anatomici ab omni aeuo instructi fuerant, adminiculis diuitem, alia adhuc, sibi singularia, habuisse, inque suos, inexpectatos omnibus, usus conuertisse; atque omnibus, quae ibi casu uel consilio, sponte uel experimento, contingerant, adcuratissimum adstitisse obseruatorem; atque tam

A 3

fre-

(I) *Vid: praefatio Thesauri Anatom: ix.*(II) *Vid: Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II. p. 26.*(III) *Ibid: p: 46.*



frequentem, ut rarissime aliorum euoluere potuerit scripta (IIII); quibus omnibus adstrue protractum, tali ratione, per sex & sexaginta annos studium, quod, crescentibus annis, una cum amore in Anatomem & insatiabili scrutandi corpora curiositate, gliscit simul (v); hisce pensitatis fingulis, atque inter se uniuersim comparatis; annon iudicabis, uel naturam, siue pauperem nimis, siue in exhibendis operibus suis nimis parcam, a decessoribus nostris Anatomicis plane exhaustam, nihil noui tali exhibere posse scrutatori; uel illum Anatomicum innumera, nemini ante uisa, detecturum esse? Ast infinitos macte thesauros, quos mortalem perfecte detegere nefas, in naturae sinu delitescere, experti sincerique clamant omnes, uoce unanimi! Omnis ergo dies talem Anatomicum nouis naturae recreabit deliciis. Statum Tibi depinxi felicissimi RVYSCH, ut mente recolas, animumque Tuum meditatione hac, ubi opus, erigas; quanti sit illa in rebus humanis fortuna, ubi occasio sola saepissime magnos facit; ac Anatomicos quidem certissime! atque intelligas, quo fato RVYSCHius numquam fere fallens naturae interpres factus sit, ut omnes priores Anatomicos multum anteire potuerit inuentorum gloria. Satis, opinor, euincam, Eundem certiori φυσιολογίας firma subjecisse fundamenta. An poterat igitur de omni humano genere magis mereri RVYSCH, quam fundando solide θεωρίαν, adeo salutariter postea influxuram in omne exercitium Medicum? Careremus certe eleganti doctrina BOERHAAVEANA, nisi insignis ille exstitisset artifex, RVYSCH, uel ei similis quisquam alius.

III. Singularibus artificiis Nostrum in detegendis nouis usum esse, modo dixi. Ita in omni hodie arte uulgaria non sufficiunt amplius. Usque adeo processit industria humana! Ipse nobis in scriptis suis plures patefecit *administraciones Anatomicas*, uel GALENO inauditas. Dignissime pri-

(IIII) BOERHAAVE in epist: ad RVYSCH p. 23.

(v) RVYSCH in respons: ad epist: BOHLII p: 8.



primo loco adfero illam *praeparandi artem*, atque *conseruandi cadauera*, quam falso sibi adscripserat GODOFREDVS BIDLOO, a proprii operis tabulis fatis saepius refutatus, uendicatam patri atque filio, RVYSCHIIIS. *Tali arte condita cadauera per plurimos seruabat annos, ut dormire potius, quam mortua, uiderentur.* Fructus artis explicuit Ipse (I), quos propriis auctoris uerbis propono: I. *Vasa sanguinea minima non tantum replentur, sed & rigida fiunt in minimis ramis, ut è corpore eximi queant.* II. *Cadauera talia, successu temporis, fiunt rubicunda magis.* III. *In eiusmodi seruatis, longe post, uel minutissima conspici queunt, quae nec in cadauere, nec in uiuo alias uisuntur.* IIII. *Lymphae ductus in illis, & aliquot post annos, immo post saecula, spectari possunt.* V. *Diuersitatem extremitatum arteriosarum, in uariis partibus uariam, exhibent.* VI. *Diuersam a recentiorum sententia glandularum conglobatarum notionem insinuant.* VII. *Ipsae, recentium licet arteriarum quarundam extremitates, fricatione, in simplici aqua sunt dissolubiles.* Si ulli in terris arti honos; hæc fane in coelum efferri debebat laudibus, atque una is, qui eidem summam perfectionem induxerat, RVYSCH. Namque apertum est, & de BILS, & CORNELIUM STALPARTIUM uan der WIEL aliquid artis illius calluisse (II). Interim uariis mox subiecta fuit iudiciis, ex lege humanorum factorum; aliis *malas fraudes ac praestigia; cuticulam misero puero detractam* cum I. I. RAV incusantibus, ut *cutis cum musculis suis, sanguine adhuc turgidis, naturalem quodammodo corporis colorem referat* (III); quum contra idem ille puer, septennis ille, quem in oculis gerebat, inque tumulto splendide ornatum exponere consuescebat RVYSCH, IPSI PETRO MAGNO, IMPERATORI, quo, dignitatem hic non loquar, ingenii acumine praestantior iudex exoptari non

PO

(I) *In respons: ad epist: problem: III.*(II) SWAMMERDAM *in notis in prodr: uan HORNE Cap: IX.*(III) C. H. ERNDTEL *de itinere Anglicano ac Batauo, p. 84.*



poterat; atque aliis plurimis, esset probatissimus.

Artificio secundo, *circulantium in uiuo corpore humorum uias perfecte manifestabat RUYSCH*. Iniiciundo nempe materiem quamdam ceraceam in truncos uasorum quorumuis; sicque replendo illorum ramos, ramusculos; atque ipsa uasa, tenuiora capillo. Iucundissimo sane oculis spectaculo! Ars illa procul dubio in RUYSCHIIUM derivata erat a REGNERO de GRAAF atque I. SWAMMERDAM, quos primos illius cultores extollit *Ipse* (IIII), amicosque habuit; atque alterum quidem adeo dilectum, ut nulla dies abierit, qua non mutua amicitia coniunctissimi collocuti fuerint (V). Possunt tamen artis huius natales antiquiores aliquantum statui. Ut BARTHOLOMAEVM EVSTACHIVM, nascenti arti forte obstetricantem, praeteream, postque illum alios plures, ipse SWAMMERDAM priores adducit, celebratque Io. uan HORNE; de BILS, atque C. STALPARTIVM uan der WIEL (VI) Omnibus tamen palmam praeripuit RUYSCH. Atque de hac arte uarie quoque senserunt docti. Dum enim alii, illius aliquantum periti, de se putarent nimis: alii contra recentia cadauera omni tali praeparationi, nimis mutanti, cum I. I. RAV praeferrent; nonnulli tandem debitam quamdam laudem eidem decernebant. Insignia circa replendi artem dedit monita HERMANNVS BOERHAAVE (VII), Physiologis commendatissima.

Ter-

(IIII) *De musculo uteri.*

(V) *l: c:*

(VI) SWAMMERDAM *l: c: p. 33.*

(VII) *In epistola ad RUYSCH p: 33-35.* Ego quidem de arte illa, salua existimatione RUYSCHII, praeparatorumque *Ejus*, sic iudicandum censeo. I. *Illam certo demonstrare uasorum existentiam.* Repletionem enim nulla fingi possunt uasa. II. *Illam non demonstrare solorum uasorum sanguiferorum existentiam, sed & aliorum.* Non ergo ualere illationem, frequentem quandoque RUYSCHIO: Ad sunt repleta cera uasa: ergo per illa, in uiuo corpore, ferebatur cruor. III. *Repletionem plura comprimunt uasa, in aeternum subducta oculis; atque eo comprimuntur plus, pluraque, quo felicitior fuit repletio.* IIII. *In forti repletionem mutari minimorum uasorum directionem.* Ipse id fa-



Tertii artificii ope, quo *inflatas prius corporis partes exsiccat, siccatasque disscindebat*, primus sane uident, quae praesentiebant nullus. *Membrana adiposa RIOLANI cellulis scatere* sic deprehensa est, mirabilis sic patuit structura *colis*; atque alia. Eadem tamen ars jam exercita erat a SWAMMERDAMIO atque MARCELLO MALPIGHI. Iste enim *infalibilem cognouit modum, corporis partes adimplendi aere* (IIX); hic *singularem lienis fabricam, tali auxilio, nobis aperire conatur* (IX).

Aliorum adhuc mentionem fecit artificiorum; uti, *pro separandis humani corporis integumentis; pro inducenda scroti duritie lapidea; atque ruberrimis iniectione partibus*, ut membranis atque intestinis, quo explicentur magis; *liquoribus immittendis*. At haec singularia magis fuerunt.

Enimuero, quietos linquamus manes RVYSCHIANOS, ne in arcana *Viri* penetrare uelle uideamur, quae, uiuus, tam anxie celabat, ut *modum, indurandi scrotum, lapidis instar* (X), *artemque iniiciendi uasa*, nullo modo reuelare uoluerit; atque hanc ne *integerrimo* quidem, *certoque suo amico*, HERMANNO BOERHAAVE (XI).

Intellectu iam est facillimum, quo pacto RVYSCH tot noua in humano corpore detegere ualuerit. Inuenta sua bonus in orbe ciuis, usibusque humani generis deuotissimus, publico impertiuit illico, diuersis in scriptis, quae, titulo *Observationum Anatomico-Chirurgicarum; musei RVYSCHIANI*;

B

re-

fatetur replendi artifex. Corpuscula namque teretia, in medio rene obuia, glandulae credita, conuoluta uasa probaturus, sic scribit in *Thesaur: Anatom: X. n: LXXXVI. Quum arteriae renales exactissime replentur, dissoluantur, uel expanduntur, quem ad modum, fili glomer.* Recidit haec meditatio ad illam haud dum solutam quaestionem: An minimorum uasorum directio in sanitatis & ardentissimae febris statu daret eadem? Annon enim, in tali febre, uel ob hanc causam, in parte quadam uiui corporis, secernitur humor, & copia, & dotibus alius, quam in sanitatis statu?

(IIX) SWAMMERDAM *l: c: p: 13.*

(IX) *De liene, Cap: IIII.*

(X) *Vid: responsio ad epist: problem: II.*

(XI) *Vid: responsio ad epist: H: BOERHAAVE p. 73.*



*responsionum ad epistolas problematicas; thesaurorum Anatomicorum; aduersariorum Anatomico-Chirurgicorum; curarumque posteriorum, ignota nemini, Auctorem, non titulo, sed merito suo, Illustrem arguerunt.*

Merita RVVSCHIANA distincte recensere, animus est. *Ita enim animis mortalium innascitur ueneratio erga mortuos, non indecens; inflammata tamen. Nolim tamen tacere, ubi bonus Vir, aliis diu animaduersa, sibi primum uisa falso arbitratus. A plagii crimine RVVSCHIIUM absoluit quisque. Atque eadem res, ad alios relata, uituperii plenissima, eximiam RVVSCHIO parauit gloriam. Digniores namque in Se utilitates ex propriis obseruationibus, quam ex iterata librorum Anatomicorum lectione, qui, ut nunc, ita & olim, plerumque compilati erant, expertus; uermibus sacrabat libros. Vnde placuit nonnullis sententia, si RVVSCHIIUS primus in terra Anatomicus fuisset, Anatomen per Illum ad idem perfectionis culmen perductam fuisse, in quo illam ab Eo constitutam, post tot annorum millia, miramur hodie.*

*Dispersa in scriptis Auctoris triplici colligam argumento. Primum erit de meritis RVVSCHII in Anatomen. Alterum explicabit adcessionem; Chirurgiae atque Medicinae per Eundem factas. Ultimo utilitates, in historiam naturalem ab Illo deriuatas, recensero. In nullo uero simplicem Historici titulum sustinere uel possum, uel cupio.*

Ordior ab *Anatome.*

III. De *humani corporis ossibus* primo loco loqui decet; cum, quod praerogatiuam quamdam, prae aliis humani corporis partibus, in tractationibus Anatomicis, iure consuetudinis, nacta uideantur; tum, quod RVVSCH in eadem omnium maxime inquisuerit iuuenis (1). Origini corporis humani intentissimus RVVSCH, & ossium generationem persaepe considerauit adtentissimus. Hanc, fere integram, addiscas ex museo, sic dicto, RVVSCHIANO; plures THEODORI KERCKRING errores, ibi correctos, notabis; atque retinebis,

(1) *Aduers: Anat: Chirurg: Decad: III. n: IX.*



bis, multa ibi referri, quae tamen posteriores *ὀστέων* praefectores sibi adscripserunt inuenta. Eximiae quoque artis opus profecto erant minutissimi, *digito minimo haudquam maiores* (II), grandioresque, omnis staturae, sceleti, siue humani, siue brutorum, eburnea albedine commendabiles. Recreat me adhuc plurimum recordatio, uidisse apud RVYSCHUM, suis in cistulis, puluinaribus incumbentes fericeis, artem elegantissimas, exiguas, naturae tamen humanae terribiles quodammodo, mortis illas imagines.

De ipsis *ossibus* quae memorem, pauca reperio apud RVYSCHUM. Plura reperissem sine dubio, nisi JOSEPHVS du VERNAY atque CLOPTON HAVERS omnia fere, circa ea, praeripuissent omnibus. Hosque si legisset RVYSCH, quasdam suas circa ossa obseruationes procul dubio non credidisset nouas. An enim illud tanta animaduersione dignum, *epiphyses ossium cum ossibus connecti, ope periostei, atque ab hoc suam adipisci firmitatem* (III); posteaquam idem longe ante animaduernerat HAVERS (III)? An illud adeo inauditum erat ante RVYSCHUM; *processum capitis, stilo similem, primo esse cartilagineum, postea autem ossescere, & articuli auxilio, committi cum osse, aemulante petram; unde eundem solae senum caluariae in coemeteriis exhibeant quaerenti* (V)? Subiecta autem satis euincunt, idem diu iam innotuisse GABRIELI FALLOPIO (VI). Atque, ut ad *ossium medullam* transeam, non admodum recte sentiebat Noster, *ab omni aeuo creditum fuisse, quod eadem ossa nutriat*; quum

B 2

con-

(II) *Ibidem.*(III) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: III. n: IX. p. 31.*(III) *Osteologiae nouae p: 27. ita: The periosteum is serviceable in the conjunction of the bones and their epiphyses, whilst the substance of the epiphyses is cartilaginous, &c.*(V) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: III. n: IX. p. 31.*(VI) *In obseruationibus Anatomicis ita: In nuper natis pueris osseae non sunt (adpendiculae εὐλοιδίς), sed cartilagineae, dumque aulescunt corpora, ipsae etiam crescunt, osseaeque fiunt, atque ad quartam fere annorum septimanam usque, per diuturnam elixationem, ut accidit in adpendicibus tenerrimorum ossium, debescunt, separarique possunt, quod numquam in ueris processibus accidere reperies.*



contra crederet, *illam ossa roborare, humectando* (VII). Eamdem autem sententiam, immo & probatam, legas apud auctores, priores RUVSCHIO (IIX).

Talia uti laudamus numquam; in RUVSCHIO uero excusamus; ita e contrario ingenue nobis probantur, quae de ossibus RUVSCHIANA in medium producimus reliqua. *Medullam, in ossium cavitatibus contentam, cum illa, quae epiphysibus atque cellulosae membranae includitur, eiusdem esse speciei, adserebat ideo, quod omnis illa in cadaveribus, quae, triginta per annos, in sepulcris haeserant, ubique inueniretur sebo similis, uel duro adipi* (IX). Observatio est elegans; meque delectat plurimum illatio, illustre *naturalis Ortologiae* specimen exhibens in homine, *artificialis* certe imperitissimo (X). Cui uero, siue per obseruata, siue per rationes, perspectum est, membranam cellulosam in toto corpore non dari, nisi unicam, illamque, quae medullam ossium complectitur, continuari membranae, cellulis pinguibus grauidae; uti adtenta uel solius *syphilidis* contemplatio nos edocet: is in admittenda *Venerabilis Viri* sententia se praestabit facilem. Est & nitida obseruatio *de diminutione superioris maxillae*, non quidem ab gingiuarum erosione scorbutica, sed *post casum dentium suis ex alueolis, in senibus; in quibus hi alueoli concresecunt, uti uasis umbilicalibus foetus, post partum, adcidit* (XI). *In decrepitis nutantes dentes ait, radicibus suis, solas per membranas, firmatis.* Atque ego in sene, semper, inter mordendum atque manducandum, dentium iacturam pauente, *idem nuper admodum*

(VII) *Thesaur: Anatom: IX. p. 3.*

(IIX) *Vid: M: MALPIGHI Exercitatio de omento, pinguedine & adiposis ductibus. Et HAVERS l: c: The third discourse. Of the uses of the marrow, p. 178-186.*

(IX) *Aduers: Anatom: Chirurg: Dec: III n: IX. Idem uero iam subolfe- cerat MALPIGHI l: c: ad n: IIX.*

(X) *Continetur sub hac propositione WOLFII in §. 270. Ortologiae: Quae habent easdem modorum possibilitates, quae, adtributorum priorum instar, insunt; ea eiusdem speciei sunt.*

(XI) *Obseru: Anatom: Chirurg: obseru: IIXCII.*



dum uidi spectaculum. Tantum circa ossa ex R V Y S C H I O dif-  
 cas Anatomicus; quibus adde, *crassiores rotundioresque*  
*costas feminis obseruatas esse a R V Y S C H I O , quam uiris*  
 (XII).

V. Circa uasa humani corporis plura exhibere possum.  
 Triplicis generis demonstrata sunt haecenus ab Anatomicis;  
*sanguinea; lymphatica ac lactea.* Ubique uero praedices  
 R V Y S C H I U M . Tam in lymphaticis, quam in lacteis primus  
 ostendit, *primus depinxit semilunares ualuulas, easque prae-*  
*parandi modum certum docuit;* primus eas oculis dominatum  
 inter Anatomicos tentantis de B I L S I I exposuit. *Vasa lactea*  
*primi ac secundi generis monstrabat;* uiam chylo parabat cer-  
 tam ex uasis generis primi in secunda uasa: a mesenterio ad  
 lumbos. Sicque evertebatur, uno impetu, famosum com-  
 mentum B I L S I I , *de rore corporis humani,* per ductus pro-  
 prios, M O S C H uocatos, a lumbis tendente ad mesente-  
 rium. Optima de nota commendanda est *Beati dilucida-*  
*tio ualuularum, in uasis lymphaticis & lacteis.*

Vasa, cruorem uehentia, amplissimam mihi suggerunt di-  
 cendi materiem. Dicam primo de *contento*: postea dictu-  
 rus de *continentibus.* Experimentum audi, & curiosum,  
 & utile: *Vbi uena tibi secatur, ramulo fruticis, uel & digi-*  
*tis, motita & comprime, qui mox exsiluerat, cruorem; &*  
*habebis e fluido solidum; membranam, inquam, copiosissimis*  
*fibris intertextam, quae, ubi, per diem unum uel alterum,*  
*pura aqua abluatur, albescit tota* (1). Hanc *Pseudo-membra-*  
*nam R V Y S C H I I* ueram membranam de animali corpore de-  
 sumtam iurabit quisque. Id uoco *curiosum.* Sed idem &  
 obserua *utilissimum.* Ipse R V Y S C H , & polyporum, & ute-  
 rinarum excretionum indolem inde explicari posse, non te-  
 mere autumauit. Mihi quidem omnis illa res adeo indubio  
 habetur, ut nil sit supra. Veros polypos, a coagulato cru-

B 3.

ore

(XII) Vid: museum R V Y S C H I A N U M N. VI. p: 108.

(1). Thesaur: Anatom: VI. n: VII. & Thes: VII. num: XXXIX. Tab: III.  
 Fig: VI.



ore diuersiffimos, qui negarunt olim, quique illos mox post obitum tantum nasci arbitrantur; ii in Anatome cadauerum, polypis diuitem, parum mihi uidentur uersati, atque naturae ignarissimi (II). Notabilis quoque est ingens *illa differentia inter Ψευδο-polypos ex humano sanguine confectos, atque illos, ex brutorum cruore paratos* (III). Aperte enuntio; *transfusionem sanguinis, ex animali altero in alterum, recte damnari a Rvvschio, tali experimento* (IIII). Vide; quantum *φυσιολογία*; quantum *παθολογία* debeat Rvvschio?

Transgredior ad *arterias*, coercentes sanguinem. Omnis uia, quanta quanta, quantis quantis ambagibus ducta, a corde usque ad extimum corporis corticem, nouis decorauit honoribus Rvvschium. Aorta tota, suo ab ortu, usque ad inuisibilem oculo ramusculum! Posticam cordis cauitatem ubi egressa ahors, adscendit, reflexaque descendit postea, datis prius PALLADIS arci ramis nonnullis. Tempore Rvvschii, scribebant omnes Anatomici, unam illam aortam, suo in itinere, fieri duplicem: alteram *adscendentem*; *descendentem* alteram. Rvvschius autem, ex intentione naturae atque ueterum (v), *unum aortae adferebat truncum*, qui incuruaretur, descendens. Sique

(II) Post plurimum *polyporum* in cadaueribus examen, reperi; alios esse *matturos*, perfectos, omnino coctos; alios *immatturos*. Priores productorem suum, cruorem, adeo celant, ut nulla coniectatione diuinaris, e sanguine natos illos. Flauescunt illi; sique soli pelluciditati illorum adtendis, *succinum* spectas. Si qui tamen icterioeis insunt, colorem habent felleum. Deprehendas tamen saepius, in quadam illis polypis continuata parte, loca quaedam, magis uel minus rubicunda, iam pellucida aliquantum, iam aliquantum flaua. *Immatturos* hos uoco *polypos*. Atque dum natura & in morbosarum & in sanarum actionum productione easdem sequatur leges; saliat numquam; quis credat; *polypum* post mortem *matturescere* posse?

(III) *Curar: renouat: p: 21. In Thes: Anatom: I. T. II. est figura Ψευδο-membranae de suillo cruore, globulos ostentans, ab Auctore tamen digitorum compressioni adscripta. V: Thes: Anat: VII. n: XXXIX.*

(IIII) Conf: supra not: X. ad §. III.

(v) *Vid: JOANNIS BAPTISTAE MORGAGNI aduers: Anatom: I. n. XVI.*



Sique figuris, ab *Ipsò* datis (VI), fides, re uera non est, nisi unus aortae truncus, isque descendens per corpus, ita tamen, ut prius, quam defertur, incuruetur, adque curuaturae locum, ramos impertiatur uertici. Ita nata aorta primos omnium ramos cordi, huicque adpensis largitur auriculis. Eos uerissima imagine utique expresserat BARTHOLOMAEVS EVSTACHIVS (VII); ultimos uero fines eorum, cincinnosque subtilissimos aequae, ac mirabiles, figuris delineare curauit RVYSCH, quae per hominem nec pingi, nec sculpi queunt elegantiores (IIX). Atque dum & ante RVYSCHIVM *soporalium arteriarum ortus* peruerse delineatus esset ab improvidis Anatomicis; eundem ex cadaueribus; atque secundum obseruationes ueterum (IX), *dextre exprimere figura ita curauit, ut innominatus truncus, aliquantum adscendens, mox fieret bifidus, producendo in latus subclauiam arteriam, sursum uero soporalem dextram; secundus uero solam sinistram, soporalem surgentem monstraret* (X). Solet quoque sub subclauia sinistra ad pulmones dirigi *arteria*, diu superuisa Anatomicis, rursus obseruata RVYSCHIO (XI), iam, constanti experientia, nota, cui, quippe adsiduae *bronchiorum comiti, bronchialis* nomen datum. Hanc *pulmonalem* dictam malluissim; uti id factum cum *iecoraria*; nisi eodem nomine abusi fuissent priores dissectores. Ignoro tamen, an, eandem ob causam, *bronchialis* adpellatio displicuerit RAVIO (XII). Restitutae ita arteriae delineationem primo reperis *ex uitulo* (XIII), post & *ex humano corpore* (XIIII).

Nimis

(VI) II. & IIIae in tabula, epist: III. adiuncta.

(VII) Tab: Anatom: XV. Fig: II. Tab: XVI. F: I. II.

(IIX) Fig: I. & III. in Tab: ad epist: III. In primis in Tab: III. Thesaur: Anat: III.

(IX) EVSTACHIVS Tab: Anat: XXV.

(X) In fig. II. & III. tabulae ad epist: III.

(XI) In obseru: XV. C: III., dilucidationi ualuularum in uasis lymphaticis & lacteis addita.

(XII) Vid: Eius responsio ad qualemcumque defensionem. F. RVYSCH.

(XIII) l: cit: ad not: XI.

(XIIII) In fig: I. & II. tabulae ad resp: ep: VI.



Nimis uero infedit animo RVYSCHII, sibi soli primam arteriae huius deberi obseruationem (xv); atque IOANNES IACOBVS GRAETZ chartam censetur sua perdidisse probatione, quod nec ERASISTRATVS, nec CLAVDIVS GALENVS, nec MARCHETTIS talem umquam nouerit *arteriam* (xvi); quum clarissima, ea super re, tandem hodie inuenerint loca seduli lectores ueterum (xvii). Id constat, tali experientia, multum profecisse *φυσιολογίαν*. Haec enim, naturae uias indagans, ita se sensim componit ad naturae uniformitatem paucam. Utque nouo experimento discas, quantum Anatome possit, & in *παθολογία*; *arteriam bronchiale cum pulmonali communicare*, obserua cum RVYSCHIO (xix). Hac uisa communicatione, ualebat HERMANNVS BOERHAAVE uerissimas omnino descriptae priscis Medicis uerae pleumonitidis exhibere caussas, ubi & leuior ille idem morbus animaduertitur, toties qui resoluitur (xix). Clarissimum ergo est, quanta laude, quantaque adcessione, obseruatam uetustissimo aeuo arteriam restituerit RVYSCH, ac praecipue, si cogitaris, idem illud uas saepius, *Eodem obseruante, ramum largiri stomacho* (xx). Atque, quo de maioribus canalibus tandem finiam; *uasa in membrana, succingente costas; arterias mammarias internas; pericardio-diaphragmaticas; atque mediastinas elegantibus figuris expressit* (xxi); *arterias intercostales exteriores, ex interioribus congeneribus natas; cognominum carniuum itinera sequentes, adque utrumque costarum limbum, & superiorem, &*

in-

(xv) l: c: ad not: XI., & in resp: ad ep: probl: VI.

(xvi) In epist: problem: ad F. RVYSCH.

(xvii) In MORGAGNI aduers: Anatom: I. num: XXIII. Nec adeo spernendus locus quem PHILIPPVS JACOBVS HARTMANN in Diff: II. spec: de peritia ueterum Anatomica adducit, ubi Auctor Isagoges Anatomicae tenues uenas memorat, asperam arteriam amplectentes.

(xix) In fig: V. tabulae ad ep: VI.

(xix) De cognoscendis & curandis morbis aphor: 822. 830.

(xx) Obseru: X. C. III. ad dilucidat: ualuul: in uasis lymphaticis & lacteis.

(xxi) Vid: tab:, responsioni ad ep: II. addita.



*inferiorem, tendentes, detexit feliciter (xxii); septo transverso ab inferioribus & interioribus intercostalibus, nonnumquam & a splenicis, ramos uendicauit (xxiii); uasa denique breuia, cum arteriosa, tum uenosa, sufficienter delineauit (xxiiii).*

Quamquam sic Rvvschiana diligentia circa maiorum uasorum ramos facile elucere possit; in minimorum tamen peruestigatione *lynceum* confitearis Rvvschium. *Totum humanum corpus ex uasis confici*; antiqua est dictio. Nullius autem probatio demonstrationi adcessit propius, quam quidem Rvvschiana. Ignorant tamen satis animati corporis indolem, qui, experientia sola, rem omnem capi posse, persuadentur. Ratio utique, ea super re, aliquantum disputat. Rvvschius oculis exponebat uasa, ubi eadem nemo unus uiserat umquam. Dumque artificiosae repletionis examinatores incorrupti monuissent, eadem, aboleri uasa plura, iam inconspicua: prior illa, de humano corpore, per omnia uasculoso, sententia, eo ipso, firmabatur plurimum. An enim quis ante uiderat *uasa per araneam tunicam (xxv)? Vasa per membranas, cingentes auditus ossicula (xxvi)? Vasa per patellam (xxvii)? Vasa per acetabulum coxae (xxviii)? Vasa in membrana, ambiente uertebrae medullam (xxix)? Vasa in ossium medullis (xxx)? Vasa in exsanguibus tendinibus ac ligamentis (xxxi)?* Ibi tamen illa spectauit Rvvsch, & post hunc, spectauere alii. Interim in *cuticula*; in *reticulo subcutaneo*; in *membrana arachnoide*, nulla, ocula-

## C

(xxii) *Tab: III. Fig: III. Thesaur: Anatom: I.*

(xxiii) *Vid: responsio ad epist: probl: IX.*

(xxiiii) *Fig: I. & II. in tabula III, addita responsionibus ad epist: probl:*

(xxv) *Thesaur: Anat: II. p. 38. Tab: I. F: IIX.*

(xxvi) *Vid: fig. I. tabulae, quae ad resp: ep: probl: IIX.*

(xxvii) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II. n: II.*

(xxviii) *Ibidem n: I.*

(xxix) *Curarum posteriorum n: LIIX.*

(xxx) *Thesau: Anatom: X. Tab: III. Fig: II. C.*

(xxxi) *Aduers: Anat: Chir: Dec: II. T. I. Fig. I.*



latissimo quamquam, uisa uasa, licet eadem cuticulae inferre uoluerit SANCTI ANDREAE iactantia. Inde hunc ad demonstrationem talem prouocabat RVYSCH, addita lepidissima clausula, huc nihil faciente (XXXII).

Omnia haec insignia sunt, atque multum foecunda; neminem tamen latere poterant, folius artis RVYSCHIANAE, bona fortuna, gnarum, foloque oculorum usu fruuentem. Quod uero iam in medium proferam; id non poterat declarari, nisi ab ingeniosissimo Viro, sedulissima comparatione prius instituta. Et cineres *Viri* reuerebitur, eo nomine, sapiens quisque.

Loqui paro de eo, quod *magnum arcanum* toties rectissime adpellauit *Illustris Anatomicus*. Vtique de *arcano*; quoniam nemo mortalium rem illam sufficienter ac distincte explicaturus praesumi potest. Loqui paro de *inuento* industriae RVYSCHIANO tanto, ut, loquente sic BOERHAAVE (XXXIII), in *Anatomicis nihil sit supra. Arcanum est ille differens progressus extremitatum, tam arteriosarum, quam venosarum, & a se mutuo, & a finibus vel uenosis, vel arteriosis; in uariis humani corporis partibus. Arcanum est eadem illa edicta diuersitas, in uariis brutorum partibus. Euoluas omnes Anatomicos; omnes euoluas naturae humanae inuestigatores; atque cites mihi unicum, qui uel discrepantes inter se ductibus uasorum fines praesenserit, uel ad diuersorum humorum in animali corpore secretionem intelligendam aliquid in eo situm arbitratus fuerit. Solum mihi MALPIGHIIUM, ecquis uero huic, siue sagacitate, siue incredibili obseruationum adcuracione, par fuit umquam? ne mihi obiicias, amabo (XXXIII). Principes Anatomici, uel ultimis ante RVYSCHIIUM temporibus, uulgabant; *uasorum; & arteriarum, & uenarum; fines in rete*  
effor-*

(XXXII) *Aduersar: Anat: Chirurg: Decade III. n: IIX.*

(XXXIII) *in epistola ad F: RVYSCH.*

(XXXIII) Insignis exstat locus in *Eius epist: I. de pulmonibus*; ubi placet *tam uteri, pulmonum uicariam, foetui sagacissime adserit* ideo, quod per *placentam, consimili ramificatione, excurrant propagata uasa* (ac in pulmonibus).



*efformare, consuetum naturae morem esse (xxxv). Ego uero malle etiam atque etiam; illud adeo audaciter non uocassent naturae morem. Nisi enim euidentibus testimoniis probassent, quoties cum natura amicissimi conuersati essent; illos naturam pernouisse, iure aliquis inde dubitet. Immo uero; uti praeclare ac sapienter idem ille MARCELLVS, pro more, aiebat; rerum inuentores urbium & reipublicae fundatoribus adsimilari; has namque suum uenerari auctorem, non, qui sensim gentem propagauit, loci opportunitate, aut sorte coactus; sed, qui, datis legibus, distinctis ordinibus, moenibus uel septo circumuallauit, aut arce firmavit; ita in artibus & scientiis inuentorem illum dicendum esse, qui naturae arcanum per suas causas patefecit, rationum & experimentorum cumulatis argumentis firmavit, & usum naturae congruum dilucide exposuit (xxxvi); ita & RVYSCH, genuinus diuersitatis illius, quaeque inde sequuntur, detector, eandem distinctissime enarrauit. Etenim; ut, dicendo de arteriis, a capite incipiam: arteriae piae matris, inque choroideo plexu, serpentino gressu, incedunt (xxxvii). In choroide tunica mirabiliter repunt, sex ramis maioribus, senis in locis, in medio eius, eandem perambulantibus (xxxviii), decussantque eadem per RVYSCHIANAM tunicam disseminata uasa (xxxix). Aliter procedunt per parotidem glandulam, quam per glandulas meseraicas (xl), utpote in quibus sursum deorsumque uasa currunt (xli), atque arteriolarum reptatus adeo singularis est, ut*

C 2

ei

(xxxv) Ita MALPIGHI de cortice cerebri C. III. similia legas in exercitatione Eius de omento, pinguedine & adiposis ductibus; ubi ita: Hoc uidetur, ait, perpetuum in natura, uenas & arterias iungi, reti intermedio: Hoc uero continentur uasorum fines.

(xxxvi) In operibus posthumis.

(xxxvii) In resp: ad epist: probl: XII. Tab: XV. Fig: III. & Thes: Anatom: V. n: LXIIX.

(xxxviii) Thesaur: Anatom: II. p: 3.

(xxxix) Resp: ad epist. probl: XIII. Tab: XVI. Fig. IIX.

(xl) Curarum posteriorum num: XXIII.

(xli) Thesaur: Anatom: X. n. LXI.



*ei similis in toto humano corpore non reperiatur, nisi, quod, in harum glandularum maxumis, ultimas suas extremitates in substantiam pulposam terminatas habeant, ut in epate (XLII). Aliter diriguntur per uentriculum, quam per ieiunum intestinum (XLIII); splenem, renes, atque uteri placentam (XLIII). In liene (XLV), atque iecinore (XLVI), ut & intestinorum spuris glandulis (XLVII), penicillorum more, protrahuntur, sine flexura. In renibus singulariter progrediuntur arteriae, dum reptatum circularem in serpentinum mutant, uermiumque in modum se uoluunt (XLIX). Aliter per uesicae urinariae fundum meant, quam per cutem, renes, lienem, epat, aliasque partes (XLIX). In placenta uterina copiosissima minima uasa ductus capillares corticis cerebri similitudine exprimunt, a uasis lienaribus diuersissima (L). Per cutem, alio modo, distribuuntur, quam per renes, lienem, epat atque uiscera alia (LI); quam per ipsam subiectam cellulosa tunicam (LI). Quum enim, in cute, retis forma, sibi intertextantur; in cellulosa membrana ramos repraesentant arborum (LII).*

Quinimmo quaedam partes, loco diuerso, diuersos in tortu ostentant ramos. Sic per septum medium aliter procedunt uasa, ubi carneum est, quam ubi est tendineum (LIII). Alia uia, incedunt per cutem pedis, quam per cutem, tegentem

(XLII) *Aduers: Anat: Cbirurg: Dec: III. n. VII.*

(XLIII) *Curarum posteriorum num: CLXXXV.*

(XLIII) *Thesauri Anatom: VI. n: CVI.*

(XLV) *Vid: respons: ad epist: probl: III. , & eidem adstructa tabula; ut & Thes: Anatom: VII. Tab. I.*

(XLVI) *Thesauri Anatom: I. p. 21.*

(XLVII) *Vid: responsio ad epist: problemat: XI.*

(XLIX) *Thes: Anatom: III. Tab: I. Fig: 1.*

(XLIX) *Thes: Anatom: X. n: CXXVI.*

(L) *Thesaur: Anat: II. p. 23.*

(LI) *Thes: Anat: IX. n: LXXXII:*

(LII) *Curarum posteriorum n: XV. Illarumque renouatarum n: LII.*

(LIII) *Curarum posteriorum n: XCIX.*

(LIII) *Thes: Anatom: X. n: CXXXVII. Et Curarum posteriorum n: CLXXX.*



*tem caput* (LV). Ecce *Tibi* diuersitatem arteriosorum finium multiplicem! Certissimum habetur hodie, diuersorum in humano corpore humorum secretionem perfici, solius beneficio cruoris, quem partibus important arteriae. De *uena portarum* tamen aliter sentiunt docti. Quodsi iam consideratissima natura, quidquid molitur, certorum finium ergo, semper exsequitur certissime; enumeratas obseruationes RVYSCHIANAS an uilipendendas iudicabis, nulliusque pretii? Natura mehercle! ignorat *purum casum*; nec, nisi in homuncionum quorundam cerebris, produci potest ille. Existimabimus itaque, illam extremitatum arteriosarum diuersitatem, praeter cetera, ab intelligentibus secretorum uariorum corpore in humano humorum explicatoribus adducta, aliquid etiam conferre ad secretionis diuersitatem. Vnde aliquid, ea super re, omissum fuit haecenus in explanatione Physiologica. Fac; in eadem ahortis sectione normali, ad utrumque eius latus, unum exire ramum, aequalis ambos diametri, atque progredientem, causa exempli, ad renes, in aequali a trunco arterioso interuallo locatos, postea per renes infinities diuisum, ita quidem, ut inflexio ac conuolutio uasorum utrobique sit oppido eadem, a ramo uisibili quouis usque ad insensilissimum quemcumque. Concipiuntur talia, saltim mente. Annon utrobique ab eodem, & copia, & dotibus, cruore, idem secernetur humor? Nisi sine sufficiente ratione aliquid statuere soles, adfirmabis utique sententiam. Ast finge ulterius; omnia utrobique sibi mutuo manere simillima; minima uero uasa, utroque in rene, aliter uolui, reuolui atque conuolui; annon diuersus hicce uasorum reptatus *Te* admonebit de diuersitate humoris, utroque in rene, separandi? Ita ut sentiam, me sane cogunt generalissimae, de *eodem* atque *diuerso*, propositiones. Vbicumque enim est alius uasorum progressus, quam in alia corporis parte: ibi & est alius humorum ad-



pulsus: adfrictus eorum alius: diuersa illorum rotatio; adtenuatio eorum minor uel maior, seu intimior; alius tandem in uase ultimo, seu minimo, humor. Namque a dotibus ultimarum solidarum particularum in corporibus fluidis, pendent dotes fluidi integri. Inde axioma Rvvschio: *Quod si in parte quadam, uasorum reptatus est alius, quam is in parte alia obtinet: ibi alius secernitur humor, quam hic.* Iudica igitur iterum, MARTINE LISTER; an gratis talia protulerit Rvvsch (LVI)? Distincta uero determinatio eius, quod a tali uel alio uasorum contortu prouenit, manebit forte arcanum. Multum tamen facit ad intellectum rei, sat intricatae; cur ibi pareretur semen? Hic bilis? Saliua alibi?

Quin & notatum est Rvvschio, & uenosorum extremorum itinera differre, & a se, uariis in partibus corporis; & a ductibus arteriosorum. Ab his quidem discrepant quam maxime in *intestinis* (LVII), ac manifeste in *renibus* (LXXX). A se mutuo diuersa illa esse, luculenter conspicitur in duabus humani corporis *uenis, portarum atque caua.* Illa etenim *copiosioribus exilioribusque dicata propaginibus, quam quidem haec* (LIX), forte & uel sine dubio, quod bilem paratura; *aliter progreditur per epar, quam uena caua* (LX); *aliter intestina peruadit, quam quidem eadem uena caua* (LXI). Mirabilis est haec uenosorum finium, suis in ductibus, inconstantia! Inconcussum tamen manet prius nostrum pro humorum secretionem ratiocinium; neque idem ualere potest pro uenis, ullo modo (LXII).

Quum

(LVI) *de humoribus* Cap: XXII. p. 207. C: XXIX. p. 291.

(LVII) *Curarum posteriorum* num: CLXXVII.

(LIX) *Thes: Anatom: IX. n: LIII.*

(LIX) *Thesau: Anatom: II. p. 14.*

(LX) *Thesau: Anatom: V. n: XVII.*

(LXI) *Curarum posteriorum n: CXLIX & CLV.*

(LXII) Nullus inficior, quodcumque uas, siue arteriosum, siue uenosum, modo quocumque, aliquo tamen, per uiscus uel membranam ferri debuisse; neque nego, & uenarum decursum in parte, quiscumque fuerit, multa cum  
rati-



Quum & brutorum uiua corpora sint machinae, uarios humores, diuersis in partibus, quae fecernunt, aequae, ac idem, humano in corpore, obseruatur; unusquisque eandem uasorum diuersitatem & in uariis brutorum partibus coniectura adsequetur. Neque hoc argumentum intactum reliquit R V Y S C H. *In uitulino capite per palatum disseminatae arteriae non conueniunt cum iis, quae disperguntur per buccas; multoque minus cum iis, quae in cavitare ossis frontis exstant; uasaeque longiora, per narium spongiosa ossa, currentia, mucumque narium conficientia, omnino sunt diuersissima: inque lingua uitulina, secundum longitudinem discissa, reptatus uasorum aequae bene, ac in integra, conspicitur; id quod nec in splene, nec in epate, nec in renibus, nec in aliis humani corporis partibus usu uenire solet (LXIII).*

VI. Post uasa, ad uiscera me transfero; quo aliam, praestantioraque, & huic Anatomes parti a R U Y S C H I O inductam faciem cuius spectare liceat. Quo tempore M A L P I G H I dominabatur Anatomicus; omnia paene uiscera euincere conabatur, constare ex glandulis: *corticem cerebri; epar; renes; lienem; testiculos*: atque indubium habebatur effatum: *nullam, in toto humano corpore, celebrari secretionem humoris, nisi, ope glandulae*. Inde enorme Anatomicis *idolum*, non ipsa quidem *glandula*, sed *glandulae nomen!* Ita maxumus quisque tunc Anatomicus; ita & menti R V Y S C H I I illa, feliciter tandem postea emendata, inferebatur olim praeuentio, *splenem atque iecur esse glandulas (1), inque cute dari glandulas*. Tandem tamen progressus, arte replendi, ad stuporem usque, uel ipsius replentis, factus, & aliter erudiuit R U Y S C H I U M, & de indubitata ceteris glandularum indole, nec non frequentia, dubium reddidit quam

ratione, id est, diuina, potius esse illum, quam alium; nemo tamen inferet id, quod ex arteriosorum finium diuersitate conclusi prius. Id enim seuerere uetat uenarum indoles, utpote quibus amplior semper meatus contigit. Vena portarum uero in epate forte desinit esse uena.

(LXIII) *Curarum posteriorum n: CLVII.*

(1) *Obseru: Anatom: LI.*



quam maxime. Post annosam denique experientiam, audax illa, firmissima tamen, ab *Ipsò* publicata est sententia: *In tota capite non dari glandulam ullam, exceptis, pineali atque pituitaria. Ac ne quidem in choroideo plexu* (II). *Nullas adesse glandulas in corde; nullas in musculis; non in pericardio; non in liene; nullas in epate; nullas in diaphragmate; nullas in corona balani* (III); *nullas in placenta uterina* (III); *nullas in cute* (V), *nullas in mamma muliebri*. Inde odia plurimorum in *Rvyschium*; quandoque & calumniae, ubi omnes glandulas, tyrannide *Rvyschiana*, humano de corpore iam exsules, cauillabantur. Talem sagax Vir experiebatur, in Anglia, *MARTINVM LISTER* (VI). Profecto; aliud *HIPPOCRATI* dicebatur *glandula*: aliud *MALPIGHIO*; aliud *Rvyschio*; & tamen adest in corpore *HIPPOCRATICA* glandula; adest & *MALPIGHIANA*; adest & *Rvyschiana*; sed non solae adsunt *HIPPOCRATICAE*; non solae adsunt *MALPIGHIANAE*; non solae adsunt *Rvyschianae*. Inde nouorum necessitas nominum; *acinorum; cotylarum; cryptarum; folliculorum; lacunarum; loculorum atque utriculorum*; quae felix excogitarat *BOERHAAVE* (VII). *Conspectus externus HIPPOCRATI atque ueteribus definiuit glandulas; tanquam corpora rotunda, tumentia, mollia, aequabilia atque splendentia*. *MARCELLVS* autem, ex interna fabrica, glandularum naturam exponere conabatur. Atque, etiamsi in eo praeclaram mereatur laudem; id tamen celandum haud est, *Eum* non plus ab experientia, siue in sanitatis, siue in morbi statu capta, lucratum esse, quam quidem antiquos: cetera coniectura, saepe fat felici, addidisse. Inde ex praeuentionibus, menti infitis, in corpore humano, *MALPIGHIO* tot nascebantur

(II) *Vid: respon: ad epist: probl: XII.*

(III) *Vid: responsio ad litteras H: BOERHAAVE.*

(III) *Thesau: Anatom: III. n: XXV.*

(V) *Aduersj: Anato: Chirurg: Dec: I. n: III.*

(VI) *Querelas Rvyschianas legas in praefatione ad Thef: Anatom: IX.*

(VII) *In epistola ad F: Rvysch.*



tur glandulae. Res est clara in *cerebro*. Corpus globosum an statim est glandula? Glomer est glandula? Corpus interruptum annon potest adparere continuum, necessitate optica? Saltus ergo erat in conclusione (IX). Idcirco figenda erat notio, ad quam examinari possent obuia corpora, *glandulae* dicenda. Id fecit, reflectendo, RVYSCH. En laboris fructum (IX)! *Glandula est corpus solidum, in coctione constans, conflatum ex adgregato uasorum, undique cinctum membrana, cuius uasa differunt, pro differentia humorum, quos efficere debent.* Sic se habebant glandulae, unanimi omnium consensu tales; meseraicae; saliuales atque τὸ πάγκρεας. *Crypta est corpus flaccidum, in coctione inconstans, uasis praeditum; non cinctum membrana ab omni parte, sed supra patulum, foueae instar.* Tales sunt intestinorum glandulae, inde spuriae uocatae RVYSCHIO (X). *Acinus denique est corpusculum rotundum, non cinctum membrana, quantum uideri potest hucusque, quae uascula, inter excarnandum, soluuntur in formam subtilissimorum penicillorum.* Atque ita uiscera pleraque constant ex acinibus; suntque glandulae. Epar pluries glandulam adpellitarat RVYSCH; negabat tamen ualdopere, illud componi ex glandulis. Quare epar non est conglomerata glandula. An conglobata igitur? Intelligis itaque insufficientem diuisionem MARINI in *glandulas siccas & densas*, hoc est, *conglobatas*; & *laxas atque humidas*, seu, *conglomeratas*. Atque illa εἴρων, exhibita ab H. BOERHAAVE (XI), quae & pro conglomeratarum glandularum natura exponenda feruire potest, an picta de cadauere? Adfunt, in MALPIGHIANA glandula,

D omnis

(II) Similia ratiocinia nimis saepe ualida habentur a Physiologis. An omnes admittent illationem: Corpus, determinatae figurae, se mouet, mouente inuisibili; ergo est animal? Aliud certe non habent pro existentia animalculorum in animalium semine argumentum. *Oegyva* enim, & reliqua, finguntur, non uidentur. Exstat tamen ualidum apud ARCHIBALDVM PITCAIRN, pro illa argumentum, IOVE dignum, suo euoluendum loco.

(IX) In responsione ad H. BOERHAAVE p. 76.

(X) In responsione ad epist. problem. XI.

(XI) In epistola ad F. RVYSCH p. 25.



omnis generis uasa, eademque arteriosa atque uenosa, maiora, minora, minima, *quorum fines*, ut de *liene* exemplum fumam, *capreolorum instar*, uel *serpentis bederae*, circum *lien*is glandulas producuntur (XII). Atque hi, tenuissimi, rubrum globulum capere nescii, dilutiorem humorem, inter ualorum tot anfractus genitum, cauo, membranaceo folliculo, ipsis adpenso, infinitis eundem osculis pertundentes, immittunt. Sic potest repleri folliculus facile; atque depleri per uas aliquod, pari modo, perforans utriculum. Sed & in Rvyschiana glandula idem ille conspicitur apparatus. Adfunt & hic omnis generis uasa, infinitis producta modis. Adest & hic membrana, non quidem humorem quemdam receptura, sed quae ambitu suo innumera uasa, glandulam conficientia, uariis modis, uariis in glandulis, contorta, id est, infinitos complectatur *acinos*; atque, ubi ad minima peruentum, humorem, tot in maeandris paratum, atque sic secretum, alii uasi, inde *excipiens* uocato, omni intermedio folliculo absente, commendatura. Litem hanc, MALPIGHIIUM inter atque Rvyschium, confirmant talem JOANNES BAPTISTA MORGAGNI (XIII), atque H: BOERHAAVE (XIII). Est uero mere Anatomica. Constat tamen hodie, obiectiones MALPIGHIANAS, perspicacitate BOERHAAVEANA multum licet auctas robore (XV), solui posse perfacile. Ipseque BOERHAAVE, intima meseraicarum glandularum ex praeparato Rvyschiano describens, sententiae Rvyschianae non adeo uidetur aduersus (XVI).

De his iam tenendum *glandulis*, quod, *crescentibus annis decrescant*, & *mole*, & *numero*; ut *ipsae feminarum mammae*. Quo ipso opinionem chyli, ab intestinis ad epar, per *venas meseraicas*, confirmari, omnino arbitramur (XVII).

(XII) MALPIGHI *de liene*, Cap. V.

(XIII) *In Aduers: Anatom: II. animadu: XLIX.*

(XIII) *In epistola ad F: Rvysch p: 29. 30.*

(XV) *L. cit:*

(XVI) *Vid: epistola F: Rvysch ad H: BOERHAAVE pag: 79.*



(XVII). An uero meseraicarum glandularum uasa, ut & lactea, contrahantur senecta; sicque nouam senili morti causam praebeant? haudum fatis uidetur determinatum.

VII. Perspecta sententia de glandulis RVYSCHIANA, duce *Eodem*, singulari facilitate, penetrare datur in abditam alias naturam uiscerum. *En caput; thoracem; abdomen!* Ventres tres, communibus omnes obductos tegumentis, quae a se mutuo separare ita, ut nihil ab arte *Tua* adcesse-rit illis, artis habetur merito. Hinc aliter tentabat opus ANDREAS VESALIUS; aliter JOANNES RIOLANUS; alii aliter. RVYSCHIVS *partem extimi tegumenti humani, ligneo superextensam asseri, feruida immittebat aquae; sicque facile cuticulam a reti, & a cute rete separabat* (I). Verum expertus fatebitur, calorem feruentis aquae multum mutare partem. Neque ego multum profeci, tali arte.

*Cuticulae*, qua de, ut & de *pilis* atque *unguibus* postea, firmiter adnectitur membrana, retis in modum composita; hinc *rete* adpellata inuentori. *Haec, nullis, si oculis fides, donata uasis* (II), *per circulares suas cavitates, pyramidales cutis papillas permittit, talisque, eleganti certe figura, a nostro RVYSCHIO expressa est* (III).

Eleuato reti succedit *cutis*, quam iam uetustissimi *Anatomici ab arteriarum, uenarum atque nervorum extremitatibus, quae in illa terminarentur, ortum ducere adseruerunt* (III). Eadem; nec plura docebat RVYSCH. Vbi uero MALPIGHI, atque NICOLAUS STENONIS, sudorem, supra cutem conspicuum, id est, secretum humorem meditantur; illico quoque machinas cogitabant, illum paraturas. Et quas? Sine dubio glandulas. Tum & conductus eo oculus illas mox spectabat; milii magnitudinem ipsis definiebat; quin & concauam, atque e-

D 2

le-

(XVII) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec. III. n: VII.*

(I) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: III. n: IIX.*

(II) *Thesau: Anat: X. n: II.*

(III) *In tabula resp: ad epist: probl: I., fig. III. VI.*

(IIII) *Auctor anatomiae uinorum, apud GALENUM.*



leuatilem singulis adaptabat ualuulam. Sed; quantum mutarat retis a cuticula atque cute separatio, ipso candente marte facta! RVVSCHIUS uero glandulas istas negabat atque pernegabat, numquam uifas sibi, arte ulla! Sed illae ipsae arteriae cutaneae, in quas adeo studiose inquisiuerat EVSTACHIVS, *tenuissimae factae, per cuticulam, perforatam, ut cribellum, ad hoc, ut per ipsam fiat respiratio uaporosarum substantiarum, seu superfluitatum interiorum membrorum* (v), nunc emittunt humorem insensilem; nunc, dilatatae, humorem crassiore, uisibilem, qui *sudor*. Vnicum hunc sudoris fontem *Noster* demonstrabat *Anatomicus* (vi). Sed nec solus; nec primus forte. PHILIPPVS enim JACOBVS HARTMANN, iam septem ante elapsi saeculi finem annis, *manifesto saepius ante oculos posuit, quo modo, cuticula per iniectiones crebras tandem secedente, innumeris punctis seu orificiis, ad iniectionem, sudor ex cute erumpat, areolis undiquaque ex uasis sanguineis contextis* (vii). Jam manifesto intelligitur, cur in cute arteriae decurrant aliter, quam ullibi alibi? Quia ibi solum secernitur sudor. Et; cur in uariis cutis partibus illarum progressus uariet? Forsitan; quod sudor, in uariis cutis partibus, & copia, & dotibus est diuersus. Illi uero *cylindracei ac pinguetudinosi loculi BOERHAAVEANI* (iix), *in lateribus perforati a uasis, pingue euomentibus, adsunt utique in exteriori cutis superficie, atque fere conceduntur a RVVSCHIO* (ix). Hi uero non glandulae, sed *cryptae*.

Cellulosa denique tunica, fere ubique praefens, omnia inter se connectens, inflante spiritum RVVSCHIO, cellulas monstrans; nunc dilatata spiritu, oleo, aqua, uel pure, *sub ipsa membrana arachnoide supra matrem piam delitescit, adiposos globulos nonnunquam ostendens, glandulas iterum creditos*

(v) *Ibidem*.

(vi) *Tbesau: Anat: X. n: CXXX. Et Aduers: Anat: Chirurg: Dec: I. n: III.*

(vii) *In Diff. II. in specie, circa peritiam ueterum Anatomicam, Cap. VII.*

(iix) *Institutionum Medicarum §. 422.*

(ix) *Aduers: Anatom: Chirurg: Dec: I. n: III.*



*ditos* (x). Qua uero ratione cellulosa haec in adiposam degenerare possit; clare docuit RVYSCH. *Immittendo namque ceraceam suam materiem arteriis meseraicis; ipsa cellulosa rubente cera plena fit* (xi). Vnde patuit, & pingues loculos arteriarum finibus adpendi: & olei guttulas ab arterioso cruore in illos deponi.

IX. Jam aperiatur caluaria; atque intus cernes perio-steum cranii, *matrem duram*, caluariae in primis dicatam usibus. Illa enim, RVYSCHIO magistro, *repleta, cera, roris instar, perpluit in cranium* (I). Laminae eius & sinus fingunt, in quos solae piae matris uenae sese exonerare usque credebantur, donec RAYMUNDVS VIEVSSENS *ex arteriosi cruoris in longitudinalem adfluxum, fallaci experimento, euincere adlaboraret*. Fallaciam feliciter detexit RVYSCH (II).

Ad cerebrum ipsum pertinet *pia mater*, quae, intestinales cerebri gyros sequendo, amplissima facta, uti oculis exponere confuescebat RVYSCH, *aequalibus sulcis superficiei cerebri atque cerebelli se insinuat, ac illi quidem serpentinis processibus, huic autem falciformibus, aequae, ac dura mater se gerit* (III); a quibus piae processibus uasa ad constituendum cerebri corticem manifeste descendunt (IIII). Sicque delabor ad illud inuentum, quod Beatus inter omnia sua in corpore humano inuenta facile palmarium habebat (v). *Fabrica cerebri glandulosa*, quam antiqua sit opinio; quam adcepta eadem principibus Anatomicis atque Physicis; nemo nescit hodie. RVYSCHius uero extra omnem fere dubitationem ponebat, *corticem cerebri non esse, nisi uasorum piae matris productionem* (vi); ita tamen, ut illae arteriae in cortice cerebri, uti scribit, in aliud esse

D 3

de-

(x) *Thesau: Anatom: V. n: XIII.*(xi) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec. II. n: IIII.*(I) *Curarum posteriorum n: CCVII.*(II) *Thesau: Anatom: IIX. n: II.*(III) *Vid: responsio ad epist: probl: VII; cum additis figuris.*(IIII) *Thesau: Anatom: VI. n: LXXIX.*(v) *In praefat: ad Thesau: Anatom: IX.*(vi) *In responsione ad epist: probl: XII.*



*degenerent, tumque praesentent pulpam uasorum sanguineorum in homine, in pyrorum uasis, pulpam in pyris (VII). Contuere elegantissimam imaginem, ad uiuum depictam, atque taurinos oculos defige in corticalia uasa, ineffabilis teneritudinis (IIX); quibus tamen omnis praerogativa humana, prae aliis animantibus quibusque, mandata est. Eccur autem adeo tenera haec uasa? Regerit facile RUYSCH (IX); liquidum, quod in corticis cerebri uasis paratum, per medullae canales seu fibras MALPIGHIANAS, atque his ipsis continuatos nervos fluet, adeo subtile esse atque cohabitatum, ut non, nisi exilissimis uasculis coerceri queat; quin immo, fatali menti humanae impetu, alias esset ultro citroque ruiturum. Tantam eius statue teneritudinem, ut, nisi nos plane decipit aestimatio PAULI GODOFREDE SIEVERT (X), si ex uasculo suo exstillaret continuo, uix tamen unum eius granum spatio 178367. annorum ex eo effluere posset. Ridebit profecto; & rideat, haec si legit JOANNES THOMAS BRINIVS, persuasus, nos, sine tali liquido, & sentire, & moueri posse, nec, talis auxilio, uel sensuros esse, uel mobiles fore, si Diis placet, in aeternum (XI.) An uero decebat demonstratorem Physiologum, nervos pro productionibus membranarum cerebri habentem, adeo filere de tam mirabili corticis cerebri fabrica? Hic quid sibi uult? Et cui est usui? Cur tam copiosus sanguis adpellit ad cerebrum? Arteriae piae matris innumerabiles an illi, ob usus proprios; hinc & haud dubie neruorum Tuorum ergo, intertextuntur? Eccur uero mater eadem, omni naturae studio, ideo, per omnem obseruationem, largissima facta est, ut arteriae ex in solum cerebri demittantur corticem?*

Cor-

(VII) *In responsione ad epistolam J. C. BOHLII. pag. 10.*

(IIX) *In figura 1: cit: ad not: VII. Et fig: VI. in prodro: Thes: Anatom: VI.*

(IX) *Thesau: Anatom: IX. n: LIII.*

(X) *In Diss: de morbis, a motu humorum circulatorio aucto oriundis; §. XXXIIX.*

(XI) *Vid: Eius inquisitio de spiritibus animalibus.*



Cortex cerebri quid ergo rursus significat? Respondebis ad haec, BRINI, uerioresque sententiae *Tuae* nobis exhibebis demonstrationem. Atque ipse *choroideus plexus*, ex existimatione Anatomicorum glandulas habens, demonstrante RVYSCH (XII), constat ex meris uasculis sanguineis, praesertim arteriosis, motu serpentino repentibus, glandulas mentientibus, propter gyrulos anfractuosos, & piaë matris portione cohaerentibus. Arteriae eius patulae in uentriculos cerebri atque cerebelli suos eructant humores, quibus uentriculos tempore somni, a concretione impediunt, tractus medullares, spinae medullam atque membranas eius humectant atque irrigant: uenae autem contra effusos ibidem humores abducunt, abductosque important sinibus. Fabrica cerebri quamuis adeo sit manifesta demonstrataque; prodire tamen debebat GUNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMMER, qui suos, suis ex orbitis, potius erui pati uellet oculos, quam credere, rem ita se habere. Obiectiones Viri facile tollebat Noster (XIII); & posteaquam duo SCHELHAMMERI discipuli idem portentum, corticem cerebri inquam uasculoso-tomentosum, suis apud RVYSCHium usurpassent oculis, maluit tandem SCHELHAMMER, fide, nunc potius doctrinae suae alumnis, quam olim data inter Anatomicos summo, oculos retinere, atque a structura cerebri omnes omnino relegare glandulas (XIII). Astutior uero VIEVSSENS, secretiones omnes in arteriis perfici, subolfaciens, & cerebri corticem uasculosum describebat; suppresso tamen inuentore RVYSCHIO (XV); quum tamen apertum sit, hunc, quadriennio ante, suas, ea de re, publicasse obseruationes (XVI). Inde nouae quae-

re-

(XII) Vid: responsio ad epist: probl: XII.

(XIII) Vid: Thesau: Anatom: VI. n: LXXIII.

(XIII) Aduersar: Anatom: Chirurg: Dec: I. n: I.

(XV) In nouo uasorum corporis humani systemate p. 226. &amp; seqq.

(XVI) Responsio RVYSCHii ad Epist: probl: XII: scripta est a. 1699. d. XXI. Aug: Sed VIEVSSENSii liber editus est a. 1705. &amp; litterae ab Auctore, eo de argumento, exaratae sunt ad eruditos, a. 1703. M: Octobre.



relae RUVSCHIO (XVII). Quae uero Noster pyramidalia atque oliuaria corpora descripsit atque delineauit in parte superiore, a latere calami scriptorii; prominentias caudicis oblongatae medullae, quae, sulcorum ope, nonnihil separatae adparent (XIX); ea, inquam, ut diligenter inquisierit, reperire potuit numquam JOANNES DOMINICVS SANTORINI (XIX). Ex elongata medulla omnes nascuntur nerui, qui & sensus auctores. Opportune igitur hic agam de organis sensuum.

IX. De sola membrana tympani quae notem, reperio apud RUVSCHIUM, dum auditus ὄρυαα percurro. Illam primus descripsit RUVSCH, tamquam e triplici membrana conflata, cuius exterior ab integumento extimo meatus auditorii propagatur, interior a dura matre, uestiente tympanum, proficiscitur: media tandem est genuina cellulosa, elegantibus donata uasis (I); quamquam, praemonstrante WINSLOW, in quatuor, immo plures membranas separari queat (II).

Eadem haecce membrana AVGVSTINO QVIRINO RIVINO perforata saepius uisa dicitur; sed RUVSCHIUS eam nusquam foramine pertusam aut perforatam deprehendit, ast ubique in ambitu ossi orbiculari connatam (III). Immo, replendo internam aurem, argento uiuo, per tubam EVSTACHII, illud tamen nullam sibi uiam inuenit per auriculam (IIII). Et, licet auditores olim RIVINI, iam doctores, illud foramen plus, quam centies mille fere auditoribus suis, quin & clausis oculis, demonstrasse se iactent; interim illud nec uisum umquam, nec ullo experimento praesens cogni-

(XVII) In prodromo ad Thesaur: Anatom: VI.

(XIX) In resp: ad epist: probl: XII. & huic addita Tab: II. Fig. V. Idem: repetiit in Thesaur: Anatom: V. n: LXVI.

(XIX) Obseru: Anatom: C: III. §. XXI.

(I) In resp: ad Epist: probl: IIX. Et eidem addita fig: IX.

(II) JOANNES FREDERICVS CASSEBOHM de aure interna, §. XIIII.

(III) Vid: Thesaur: Anatom: II. p: 33.

(IIII) Vid: Thesaur: Anatom: IIX. n: VI.



cognitum est, siue aliis (v), siue BERNARDO SIEGFRIED ALEINO. Purga membranam tympani undique, atque meatum inter auditorium & nominatam membranam, reperiens foramen, sed externo mallei musculo ablato; numquam uero alias.

*In foetu, eandem membranam inuestit tegumentum aliquod, iam diu obseruatum, cuius usus diu fuit absconditus. Hodie autem compertum est cum RVYSCHIO (VI), illud, nunc crassius, nunc tenuius, tenuerrimum ὀργανον, ab acribus saepe humoribus, quibus innatat foetus; & ab inconsueti aeris iniuriis defendere idem, post partum; recedere tandem, succrescente meatu osseo, atque cartilagineo.*

Membranas, auditus ossiculis circumdatas, a RVYSCHIO primum ostensas esse uasculosas, supra me retulisse memini.

Ab aure ad oculum. Madentes usque palpebras explorans RVYSCH, glandularum MEIBOMIANARUM loco, reperit oscula canaliculorum, serpentino reptatu reptantium, qui continuant cum arteriolarum extremis (VII). Sicque alia glandularum series iterum eiiciebatur ex humano corpore. Quantum ad internum oculum; nouam tunicam eius in Anatomen inuexit, cui, propositum a filio, probatum a patre, RVYSCHIANAE nomen impositum. Rem omnem non adeo bene tulerunt PHILIPPVS VERHEYEN atque J: J: RAV. Cingit autem interne tunicam choroidem, a qua & in repleto, & in non repleto oculo separatur ab Anatomicis (IIX). Quod uero nunc referam, per Anatomen RVYSCHIANAM plane constitutum, maioris momenti reor. An uero illud uel liquidi neruei existentiam, uel retinam, uerum uisus ὀργανον defendentibus contrarietur? Proponam quidem, non determinabo.

E

du-

(v) CASSEBOHM loc: cit: in not: II.

(VI) Vid: Thesaur: Anatom: III. n: LXXVI.

(VII) Vid: Thesaur: Anatom: X. n: CXXIII.

(IIX) Vid: respons: ad epist: XIII., & fig: VII. & XIII. in eius tabula.



duplici lamella componitur euidenter: *medullosa* una; altera plane *vasculosa*, vitreum humorem ambiente (ix). Quo igitur pacto adficient radii lucidi *amphiblestroidem*? Doleo uehementer, hanc in obseruationem non incidisse adductum prius BRINIVM. Restat in oculo aliquid, quod non adeo recte intellectum RVVSCHIO. *Ligamentum ciliare*, atque *processus cognominis*. Etenim, secundum Auctorem, *ligamentum illud est orbiculare corpusculum, plurimis iugis undulatis, pigmento atro obductis, ditatum; quae iuga ueri sunt musculi, tendinibus suis ciliari inserti processui. Huius pars anterior dicitur iris; posterior uero habet longitudinales fibras, rectas atque peētinatim positas* (x). Mutauit tamen post aliquantum sententiam, dum non ciliari ligamento, sed processui atque circulo, posterius in pupillae confinio sito, fibris ornato concentricis, actionem carnis tribuit, extremaque ligamenti a ciliari processu recedere statuit; ligamenti ciliaris tendines tamen minori circulo inseri dixit rursum (xi). Res sic se habet in natura: Vbi choroides tunica ad corneam peruenit, illa, ex tenui, fit uel triplo crassior, abitque in crassum orbiculum, qui scleroticae, ad corneae initia, adhaeret circumquaque. Vocatur *circulus orbicularis choroidis*. Ab omni huius orbiculi circuitu enascitur membrana, corneae laxè adplicata, quae exterius *iris*; interius *uuea* adpellatur. In brutis praeter ea, ex orbiculo ciliari, mediam pupillam uersus, radiorum instar, rectae feruntur fibrae, quae *ciliaris processus* sunt, cui mobile punctum in uuea, in orbiculo fixum. Pone uueam denique abit ciliaris orbiculus in *ciliaria ligamenta*, humorem crystallinum, more ligamentorum, retinentia. Sunt autem tenues, arcuatae fibrae, ex interiore choroidis superficie procedentes. Quoad oculum tamen merentur euolu-

ui

(ix) Vid: resp: ad epist: probl: XIII. & fig: XVI. tabulae eius. Et Thesaur: Anatom: II. p. 34.

(x) Ibid: & Fig: XIII. XVII. XIX.

(xi) In Thesaur: Anatom: II. p. 8.



ui *Auctoris responsio ad epistolam problematicam XIII. & Thesaurus Anatomicus II.* Id unicum adnecto, JACOBVM HOVIVM, in *Anatome oculi, criminis litterarii posci a RVYSCHIO (XII).*

Nasus quum *odoratus ὀρυανον* contineat, de eo hic adprime incidet fermo; atque prae ceteris, in quantum est *cartilagineus*. Princeps eius cartilago est *septum narium*, circum quod *singularem* demonstrabat *membranam RVYCSH (XIII)*; atque *ad eius posteriorem inferioremque partem obliquos sulcos (XIII)*: *ad anteriorem uero & inferiorem, iuxta palatum, unum utrimque foramen, mucum transmittens (XV).* Nescio certe; an haec sint illa *STENONIS foramina (XVI)*? Reliquarum autem nasi cartilaginum numerum adauxit ita, ut *in quouis latere adhuc duas depingere potuerit: alteram oblongam: alteram quadrangulam fere; ita, ut, numerante RVYSCHIO, novem dentur nasi cartilagineae (XVII).* Anatomicorum erit conficere; *an supremas triangulares cartilagineae, cum septo narium cartilagineo, ad utrumque nasi latus reflexo, unam saltim constituent cartilagineam? An, ut de gracilis diuisione atque sesaminis nasi cartilaginibus nunc nil memorem, binae adhuc in quouis nasi latere adsint cartilagineae? Vti expertum se adferit oculatissimus SANTORINI (XVIII).* Id non obliuiscar, *neque in narium membrana glandulis locum concessisse RVYSCHIVM, quum & has non esse, nisi extremitatum arteriosarum fasciculos, praeparata artificiosissima ostenderent (XIX).*

Deuenio ad ultimum, quo tangimus, *ὀρυανον*. Omnes ex elongata medulla orti nerui uel explicantur in membranas, uel, depositis omnibus membranis, finiunt *in papil-*

E 2

las.

(XII) *In prodromo Thes: Anatom: VI.*

(XIII) *In respons: ad epist: problem: IIX. & fig: 8. in eius tabula.*

(XIII) *In Thesauro Anatom: III. n: LXI.*

(XV) *Ibidem.*

(XVI) *In SANTORINI obs: Anatom: C. V. §. XIII.*

(XVII) *Vid: loc: cit: in not: XIII. & fig: IIII. in eius tabula.*

(XVIII) *Loc: cit: Cap. V. §. IIII. V.*

(XIX) *In Thesauro Anatom: VI. n: III.*



las. Hae manifeste tanguntur & in tactu, & in gustu. Tactus autem omnis sequelas habet plures. Atque proponam exempla; *dolorem* atque *uoluptatem*. Quotuplex est dolor? Neque simplex est uoluptas. A dolore adficimur utique plus; hunc distinguimus magis; nempe intentiores in ipsum, utpote natura proclives in querimonias. Annon sine pari est famis dolor? Ne uero diuerso tangentis impetui omnia tribuas; audi; & *uariare papillas nerueas inter se*. Papillae se habent ad neruos, uti extremitates arteriosae suos ad truncos. Quare & neruorum fines inter se differunt aequae, ac ante patuit de extremis arterioli; uti sapienter intellexit *noster senex* (xx). Dantur igitur in corpore humano duo excellentia systemata; *arteriosum* atque *neruosum*; prout aliis argumentis quoque cognouerunt alii. *Habemus uero pro papillis illa extra superficiem prominula corpora, quae, facta perfectissima repletione, rubentibus ceteris omnibus, manent albissima*. Non ergo sunt uasorum sanguineorum propagines: &, quia ibi loci sensus omnium maxime uigent, continuata sunt neruis corpora. Papillae igitur sunt *nerueae*. De diuersitate autem illa papillarum non licet, nisi specimina offerre, quum illa non obtigerit felicitas *Rvvschio*, quam sibi precabatur grandaeuus, *ut neruorum semitas extricare posset, uti systema arteriosum orbi exhibuit* (xxi). En tamen illa! *Papillas cutaneas eleganter depinxit pyramidales* (xxii). *Alius figurae sunt in lingua* (xxiii). *In papilla mammae femininae humanae sunt rotundulae, plae, ut in ouillo uentriculo* (xxiiii). *In prolabiis sunt oblongae* (xxv). *Aliae sunt palpebris; gingiuis aliae* (xxvi). *Aliae in corona balani* (xxvii). Quin &

(xx) *Thesaur: Anatom: X. n: CXXX. & Aduers: Anatom: Chirurg: Dec. I. n: V.*

(xxi) *Bohlius in adlegata epistola.*

(xxii) *In tabula ad resp: epist: probl: I. fig: V. & VII.*

(xxiii) *Vid: Fig: VI. Tab: III. Thesaur: Anatom: I.*

(xxiiii) *Aduers: Anatom: Chirurg: Dec: III. n: X.*

(xxv) *Ibidem.*

(xxvi) *Thes: Anatom: X. n: CXXXVI. & Fig: II. Tab: I.*

(xxvii) *Vid: resp: ad epist: probl: XV. & fig: I.*



& in una eademque hominis lingua non unius diuersitatis papillas uiderunt MALPIGHI; & postea RVYSCH (XXIIX): in bucca superiores ab inferioribus distinguuntur (XXIX); inque eodem orificio uentriculo deprehenduntur uariae (XXX). Atque hae papillae, profundius immersae cuti, pilis fundamentum praebent nascituris (XXXI); qui tamen ex ipsa quandoque pinguedine exire conspiciuntur (XXXII). Teretia haecce corpora, in quorum indolem studiosius inquirere coeperat MALPIGHI, per spiramenta retis exeuntia, tandem thecas sibi sumunt de cuticula, ita extrusa; uti ostendit RVYSCHIANUM experimentum (XXXIII). Illud uero singulari consideratione dignum habendum, quod papillae, ex doctrina RVYSCHIANA, ubique efflorescant in membranas, non re, sed nomine diuersas; ac cutis quidem in epidermidem; reliquae uero, ubi cutis abest, non in epidermides, sed in cuticulas; in epithelias. Cuticulam nec florem esse, nec rorem; hodie, opinor, confitebitur quisque; confitetur & RVYSCH. Inexplicatum hic tamen reliquit; quid sit efflorescere? Quoties cuticula cum reti a cute secedit, toties illa uietata fit atque emerita: nouae toties germinant membranae ab iisdem papillis (XXXIII). Sicque facile capitur, quo modo ANTONIVS de LEEVWENHOECK squamosam cernere potuerit cuticulam. Epidermis, rete atque papillae, singulari naturae consilio, ad digitorum mucrones, durantur, occalescunt, abeuntque in corpora certa, ungues nominata, epidermidi usque adhaerentes, atque, hac a cute liberata, una ab eadem secedentes cute (XXXV). Vti iam a cutaneis papillis epidermis producitur; ita & papillae pro-

E 3

la-

(XXIIX) Vid: Thes: Anatom: I. p 18. &amp; Fig: VI. Tal: III.

(XXIX) Vid: Thesaur: Anatom: X. n: CXXXVI.

(XXX) Loc: cit: ad not: XXIII.

(XXXI) Aduers: Anatom: Chirurg: Dec. I. n: V.

(XXXII) Vid: responsio ad epist: probl: I.

(XXXIII) In Thesau: Anatom: V. n: II.

(XXXIII) Thesau: Anatom: III. n: XIII.

XXXV. Ibidem. Et fig: II. Tab. III. eiusd: Thesaur:



*labiorum* (XXXVI); *genae internae* (XXXVII), atque *gingivarum* (XXXIIX), *efflorescunt, expanduntur in epithelias; uelamenta propria; cuticulas; non epidermides.*

X. Descendo ad *thoracem*. Quid sit *thymus*? Cui usui seruiat in foetu? Res est controuersa. Ductum eius excretorium certo demonstrauit haecenus nullus. Sed quid non tentabat in Anatome R V Y S C H I U S? Praecipue iuuenis? *In boue reperit uenam, per thymum distributam, tam pellucidae fabricae ac tenuitatis, ac si foret uas lymphaticum, nisi quod careret ualuulis, in unam ex uenis mammariis transeuntem.* Adtamen in homine inuestigatio eius insumebatur frustra. *Lympham una cum parato in glandula humore illa reduci, statuebat dubius* (I). Res haec itaque maiori Anatomicorum diligentiae relicta fuit.

Omnis thorax duas in cauitates diuiditur per mediastinum, quod a faccis membranae, succingentis costas, ambos pulmones continentibus, sibi que adplicatis, enascitur. Hoc in mediastino tertiam thoracis cauitatem demonstrare atque depingere consueuerant Anatomici. R V Y S C H I U S uero facile probabat, cum aliis; *tale cauum utique fingi; quantumque natura ab illo abhorreret; fideli euincebat* εγχειρησι (II).

Circa pulmones pauca occurrunt dicenda. Asperam arteriam in ramos atque ramusculos, arteriae in modum, abire, notum est. Miramur figuram eius, suppeditatam iam olim ab E V S T A C H I O (III). Sed & artifex fuerit, qui eius ramum ita extricare sciuit a uasis reliquis, uti depictus habetur apud R V Y S C H I U M (IIII). In uasculoso pulmone id est notatu dignum apud R V Y S C H I U M, quod, *repleta*  
pul-

(XXXVI) *Thesau: Anatom: III. n: XXIII.*

(XXXVII) *Thesau: Anat: VI. n: CXV.*

(XXXIIX) *Thesau: Anatom: X. Tab: I. Fig: II.*

(I) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II. n: VII.*

(II) *Ibid: n: IIX.*

(III) *Tab: Anatom: XXVII. Fig: XIII.*

(IIII) *Fig: III. Tab: III. Thes: Anatom: VII.*



*pulmonali*, siue *arteria* (v), siue *uena* (vi), *utroque in casu*, pulmonales repleantur uesiculae. Id uel fit per *ἀναστομώσεις*; uel per *διαρροίαν*. Valeat conclusio H. BOERHAAVE *de uis apertis*, per quas tenuissimi atque halituosi humores ingrediantur uenas pleumonicas (vii); atque tum crimine hic vacat replendi ars; & per *ἀναστομώσεις* transmittuntur iniecta; & continuo, licet parcissimo, flumine ab arteriae pulmonalis ramusculis in uesiculas deriuabuntur halituosi humores; quam *ἀναστομώσεις* potius in arteria pulmonali concedenda uideatur, quam in cognomine uena. Arteria enim uenam antecellit uirtute. Saltim *ἀιμοπτύσεως* *possibilitas euitata* a RVYSCHIO (iix) an uero aeri uiam in pulmones patefecerit idem? non dixero.

Quae in corde per RVYSCHIIUM innotuerunt, uerum eius fitum, post VESALII atque EVSTACHII labores restitutum, si exceperis; solas concernunt *auriculas*. *Sinistra* quidem *ut plurimum serpentino reptatu repit, inque mucronem incuruum exit* (ix). *Venam quoque insignem, ab auriculae dextrae fundo oriundam, atque maxumam partem per cor distributam, ductum quemdam carneum* VIEVSSENSII, omnes siluerunt Anatomici, praeter RVYSCHIIUM (x), nisi forte est illa eadem, quam prius adeo eleganter depinxerat EVSTACHIVS (xi); quamquam & haec credatur alia (xii). Errorem tamen quemdam contineri putarim in illis adductae epistolae uerbis: *quod ab auriculis talis prodeat uena*. Enimuero nec RVYSCHII, nec quisquam alius talem umquam demonstrauit uenam, in sinistram quae finiat auriculam.

(v) *Vid. Museum RVYSCHIANUM p. 134. Vid. & MALPIGHI-Epist. I. de pulmonibus.*

(vi) *Curarum posteriorum n. LIX.*

(vii) *Institutionum Medicarum §. 201.*

(iix) *Loc. cit. ad not. V.*

(ix) *In resp. ad epist. probl. X. & Fig. I. II.*

(x) *Ibidem & Fig. III. A.*

(xi) *Tab. Anatom. XV. Fig. II. & Tab. XVI. Fig. I.*

(xii) *BOERHAAVE Institutionum Medicarum §. 183.*



culam. *Non salutata dextra cavitate cordis, in sinistram effundi, aeterna lege uetuit cruori diuinus Aquilex.*

XI. Venter ultimus est *abdomen*; in quo duas *Tibi* concipias cauitates; alteram inclusam a peritonaeo; eodem circumscriptam saltim alteram. Contenta prioris, primo sermone, in merita *Rvyschiana* intento, proponam.

Quum uentriculus cum intestinis unus reuera sit productus canalis, diuersae, uariis locis, capacitatis; quid mirum; illis communia intercedere plura? Aequae copiosas ambo possident tunicas. Intima est *uillofa*; qua de *uillos*; *papillas*; *poros*; *rugas*; *ualuulas* referunt, atque *cellulas*. Atque hanc ueram esse tunicam; eiusque ualuulas atque cellulas non esse, nisi ipsius longioris rugas; atque *Kerckringium* non conuenientes tenuiorum intestinorum ualuulas, sed solum hocce nomen in Anatomem importasse, ipsa, quod ignorare aliquantum uidebatur *Rvysch* (I), egregie sciuit antiquitas. Saltim id constat de *Archangelo Piccolhomino*, *Hieronymo Fabritio* atque *Fallopio* (II). *Papillas*, neruorum extremitates, certatim cum *Heluetio* in intestinis probabat *Rvysch* (III) *Pori* autem, & *in uentriculo* (IIII), & *in intestinis* (V) conspicui, haud dubie sunt aperturae semiapertarum *cryptarum Boerhaaveanarum*, siue *glandularum spuriarum Rvyschii*. Namque & idem hicce singulari edocebatur experimento, siue *uentriculi arterias*, siue *meseraicas sua replet materie*, utroque in casu, *perpluere illam*, uel *in uentriculum* (VI), uel *in intestina* (VII). Numerum autem *intestinalium membranarum adauxit*, addendo *cellulosam*,  
quae

(I) *Vid: resp: ad Epist: probl: XI.*

(II) *Hartmann in Diff: in specie I. de peritia ueterum Anatomica Cap. II. §. III.*

(III) *Thesaur: Anatom: VII. n: XL.*

(IIII) *Thesaur: Anatom: II. Tab: V. Fig: II.*

(V) *Vid: Fig: V. in tab ad respons: ad epist: probl: XI.*

(VI) *Vid: Thesaur: Anatom: VI. n: XXXIII.*

(VII) *Vid: responsio ad epist: probl: XI.*



quae sita esset extimam inter atque carneam. A uero aliquantum, ea in re, abfuisse RVYSCHium, suadent atque persuadent sequentia, industria BERNARDI SIEGFRIED ALBINI, detecta. Mesenterium e duplici constare lamina, a peritonaeo nata, uel tirones norunt Anatomici. Illud si cultello aliquantum laeferis, inter lamellas illas mediam decurrentem cellulofam membranam, cum THOMAS WARTHON deteges atque RVYSCHIO (IIX); sedem mesentericae pinguedinis. Tali mesenterio adligantur intestina. Vbi iam mesenterium cum intestino connectitur; ibi exterior eius lamina intestini tubum suprascandit, atque, rediens fere ad locum; unde a mesenterio secesserat, cum interiore mesenterii membrana est continua. Ita haerent intestina in mesenterio. Ita nascitur extima intestinorum membrana. Ita haec est a mesenterio; est a peritonaeo. Datur ergo intercapedo quaedam inter duo illa puncta, & supergressus extimae lamellae mesentericae supra intestina, & reditus eiusdem, quam inter duas mesenterii laminas interiecta occupat cellulosa. Intestinum iam uulnera paullulum ad locum, ubi mesenterium intestino adhaerescit, & eleuabitur cellulosa mesenterii, aliquo spatio, supra intestinum; numquam hoc ambiet integrum, membranae in morem. Neque umquam uisum est intestinum, omnem suam per circumferentiam pingue. Remouemus igitur ex Anatome *membranam intestinorum cellulofam RVYSCHianam*. Quum iam uentriculus in mesenterio non haereat; ecce Tibi rationem; cur de *cellulosa uentriculi siluerit RVYSCH*? Neruea tamen tunica, & uentriculi, & intestinorum, arte potest mutari in cellulofam, ex Eiusdem ALBINI doctrina (IX); quam quoque postea parauit RVYSCH (X).

Singularia, siue uentriculo, siue intestinis, uel nulla inuenit,

F

uenit,

(IIX) Vid: Thesau: Anatom: VI. n: CXIIX.

(IX) Vid: CHRISTIANI BERNARDI ALBINI *noua tenuium hominis intestinorum descriptio*.

(X) *Curarum posteriorum n: LXXXIX.*



uenit, uel momenti exigui. Quae enim descripsit *quadrilatera loca uentriculi* (XI); ea numquam spectare potuit SANTORINI (XII). In tenuibus uero intestinis *singulare cryptarum quasi genus inuenit, quod eminent ultra intestini caua, pulposorum penicillorum instar; atque in uermiformi processu aliud, quod ficuum aut papaueris albi semina perfecte refert, ita, ut noduli uideantur, non folliculi cum membranis cauis* (XIII).

Intestina obtegit *omentum*, quod incauti inter administrandum Anatomici, atque recentiores nonnulli, foraminibus peruium uidisse sibi uisi sunt. RVYSCHIUS autem *illud usque spectauit integrum* (XIIII). Ante oculos sibi ponat *Fig: I. Tab: V. Thes: Anatom: II*; quisquis elegantia iconae expressum cernere cupit, quod adeo nitide uerbis exposuerat MALPIGHI.

Venae omenti sese exonerant in uenam lienarem: unde & locus hic fit, dicendi de *splene*, quatenus ipsum indagauit RVYSCH, licet, inter sermonem priorem, de *glandulis*, plurima de ipso, similibusque uisceribus aliis, praeeperim; imperfectaque eius adhuc relicta sit cognitio. *Compositio nempe eius cellulosa, fibrosa atque glandulosa fere in brutis*. Neque talem ex humano splene descripsit MALPIGHI. RVYSCHIUS uero in humani splenis subtilissimo examine, ipsum reperit *arteriarum, uenarum, lymphae ductuum, atque neruorum congeriem, ambientibus membranis coercitorum: arterias uero penicillorum in formam redactas, qui mentiantur glandulas. Neque naturaliter esse cellulas, sed, praeter naturam, degenerare posse in tubercula dura, globosa. Atque fibras in uitulino quidem concedendas esse splene; non uero in humano* (XV). Atque, quum natura in maioribus animalibus praebere soleat uidentia, quae negauit

(XI) *Thes: Anatom: II. p: 15. T. V. F. III.*

(XII) *Obseru: Anatom: Cap. IX. n: VI.*

(XIII) *In epistola ad H: BOERHAAVE p: 57.*

(XIIII) *Thes: Anatom: II. p 20. & alibi.*

(XV) *Vid: resp: ad epist: problem: III. & figur.*



uit in minimis; ideo & *gigantis feminae lienem* explorabat Rvysch. Sed & hic omnia erant, ut ante; *eximia eius imagine teste* (xvi).

Ab hoc splene eductam uenam comitemur in *iecur* usque; aliam & cuius in nobis excitauit notionem insignis *Anatomicus*. *Vasa enim arteriosa* quaedam primus huic parti tribuit: quorum alia procederent a *diaphragmate* (xvii); a *uesicula bilis* rursum alia (xviii). Atque haec; uenae portarum productiones copiosissimae; uasa uenae cauae; atque iecorariae arteriae ramusculi *epar constare faciunt ex solis uasorum extremitatibus, penicillorum modo, dispositis, quae omnes una coercentur membrana* (xix). Inde fit, ut *repletum per aortam iecur totum cernatur uasculosum* (xx). Simplici adeo machina in epate paratur bilis; atque laboriosior per glandulas euanescit, dum & nuper monui, cadere MALPIGHIANAM sententiam, neque tamen ex glandulis componi epar, licet ad *glandulosa iecora humana, cochleae, lacertarum, piscium, galei, anguillae, sciuri atque bouis prouocarit Italus*. Hi uero uasculosi fines terminantur ad *extimum iecur in rotundos, ceu stellatos fines, praeparatione admirabili* (xxi), ipsamque cingentem epar membranam, quae glandulam illud constituit, *uasis ornat copiosis, singulari tenuitate praeditis* (xxii).

EX *uesicula fellis*, ad quam & *epaticarum arteriarum extremitates* pertingunt (xxiii), *miliares glandulas, quas & priores in areolis tunicae interioris uesicae commonstrarant*, apta figura exposuit Rvysch (xxiiii).

XII. Extra cauum abdominis haerent *renes*, eaque omnia,  
F 2 quae

(xvi) *Thesau: Anatom: VII. n: XI, & Tab: I. Fig: I.*

(xvii) *In respons: ad epist: probl: IX.*

(xviii) *In respons: ad epist: probl: V.*

(xix) *Thesau: Anatom: I. p. 21.*

(xx) *Curarum posteriorum n: LXXXVI.*

(xxi) *Thesau: Anatom: IX. n: LIX. & Tab: III.*

(xxii) *Thesau: Anatom: X n: CXXCI. & Tab: III. Fig: V.*

(xxiii) *Vid: respons: ad epist: probl: V.*

(xxiiii) *Ibid: Fig: III.*



quae concludit peluis. Diutissime ante RVYSCH perspectum fuit, *dari capillares uenas, quae, prae nimia paruitate sui, uideri non possunt, per quas urina uenit ad renes;* quaestio saltim erat; quo eadem pacto peluim ingrediatur; an glandularum uniuersali credito beneficio; an alio? Rem decidit experimentum: *Infarciendo, materie ceracea, renales arterias, una quoque replentur ductus BELLINI, renales tubuli atque ipsa peluis.* Vnde primo saltim coniecit RVYSCH (I), *ductus urinarios esse arteriarum renalium continuationem, sine media glandula.* Atque illud, semper ita postea eueniens, docebat distinctius, dum uideret, *arterias renales ante, quam fiant ductus urinarii reptatum circularem in serpentinum mutare* (II). Post repletionem tamen nec RVYSCHII oculis subducebant se *pauca quaedam rotunda corpora, medio in rene, conspicua, de quibus, licet non pro glandulis agnitis, constituere nolebat* (III), donec tandem ultima indagine, expertus esset, *illa corpora esse singulari ratione contorta uasa* (IIII). Hodie probatur RVYSCHIANUM hoc iudicium fere omnibus, nisi illis, qui in nomen MALPIGHI iurauerunt. Eadem sedit VIEVSSENSIO mens (V), propriis eo inuitato experimentis. Quodsi enim sincere scripsit, uti de quouis statuere fas est, nisi diuersa nos alii iterum moneant, eodem tempore in mirabilem rerum structuram inquisiuit, quo de genuina eius indole uerba facere incipiebat RVYSCH (VI). Nihilo tamen minus doluit hic rursus praereptam sibi a VIEVSSENSIO inuentionis gloriolam (VII).

Superfunt *generationis ὀργαῖνα ex utroque sexu* adferenda; ut & hic elucescat, quam belle & hic se gesserit Anatomicus?

(I) *Tbesau: Anat: II. p. 31.*

(II) *Tbesau: Anatom: VI. n: XVI. & Fig: I. Tab: I.*

(III) *Loc: cit: ad not: I.*

(IIII) *Tbesau: Anatom: X. n: LXXXVI.*

(V) *In nouo uasorum corporis humani systemate pag. 140. & seqq.*

(VI) *In nouo uasorum corporis humani systemate p. 140. & seqq.*

(VII) *In prodromo ad Tbes: Anatom: VI.*



cus? De uirorum primo agam: de *testiculis* atque *cole*. Testiculos inclusos esse scroto, ignorat nullus. RVYSCHIIUS autem *noſter* docebat inſuper, *tamquam nouum, ſcrotum, de- miſſo ſepto, quod Anatomicorum oculos haecenus effugerat, in duas diuidi partes*. Data igitur & ſepti, & uasorum eius figura. Contingebant haec A. MDCXCV. (LIX). Diuiſit ſeptum hoc animos praeclarorum Anatomicorum; *Noſtri* atque J. J. RAV. litique non unam ſuggeſſit materiem. Dum enim alter, inter ea, adminiſtrationibus ſuis Anatomicis atque medela, quae manu ſit, Amſtaelredami inclareſce- ret, ideoque amaretur plurimum; inter hunc atque Profes- ſorem Amſtaelredamensem intercedere coepit aemulatio quaecumque. Inde intenſis in ſe mutuo animis, circa in- ſtrumenti cuiuſdam Chirurgici inuentionem, RAVIUM RVYSCH popoſcit plagii. Qui RAV, crimine negato, eiufdem adcuſavit RVYSCHIIUM, circa *ſepti ſcroti* notitiam. Quodſi aduerſario fidendum; *magnum ſibi fore Apollinem RAVIUM pronunciauit RVYSCH, ſi unicum citare ualeret Auctorem, ſepti huius qui meminere uerbo* (IX). Talibus motus RAV exarauit epiſtolam *de inuentoribus ſepti ſcroti; ad Virum Clariffimum, FREDERICVM RVYSCHIIUM, A- natomiae & Botanices Profefſorem, A. MDCXCIX*. In hac, omnis fane acrimoniae experte, *adductis ſeptem Au- ctorum, RVYSCHII priorum, uerbis*, liquido probabatur; RVYSCHIIUM *non dixiſſe primum, illo de ſepto*. Bimeſtri e- lapſo, reſponſionem ſuam addidit, cum impetu, RVYSCH reſponſioni *ad epiſt: problem: XII*. Sed aliò iam diſcedebat diſceptatio. *Ibi ueteribus non ſepti amplius negabatur cog- nitio, ſed clara, eaque tanta, ut, quo modo uere ſit conſti- tuta, intellexerint*. Quibus actis, poſt duorum meſium decurſum, adparuit JOANNIS JACOBI RAV reſponſio *ad qualemcumque deſenſionem FREDERICI RVYSCHII, quam*

F 3

haud

(LIX) Vid: reſponſ: ad epiſt: problemat: I.

(IX) Petita haec ex RAVII reſponſione ad qualemcumque deſenſionem F. RVYSCH.



haud ita pridem edidit, pro septo scroti. In qua huius litis Anatomicae detegitur origo: & septum scroti, ab ipso descriptum & delineatum, fictitium esse, clare demonstratur. Commendatur hoc scriptum Anatomicis, exponens quippe ueram naturam scroti quam optime. Ad quod se haberet septum eius; uti se habet mediastinum ad membranam, succingentem costas. Quibus omnibus responsurus RVYSCH, anno sequente, responsioni suae ad epistolam problematicam XIII. subiunxit acerrime, RAVII quae animum exulcerare potuissent, nimisque illudit RAVIANAE scroti descriptioni; quae tamen hodie probatur omnibus. Sic fallitur quandoque optumus quisque: & veritati eo semper detrahatur plus, quo quisque sibi tribuit nimis. Neque circa testiculos adeo noua docuit RVYSCH. Etenim uasa seminalia, secundum EUM, non sunt in peritoneo, sed super huius exteriori superficie repunt, cui firmiter adnectuntur, & a qua uidentur mutuari integumentum suum, uagina dictum (X). Quae tamen forsitan eadem sunt cum illis SWAMMERDAMIANIS, quod eadem secus peritoneam, & cum eodem, decurrant (XI). Vasculosam autem testiculorum fabricam iam exposuerant RIOLANVS, de GRAAF atque van HORNE (XII). Testicularium tamen filamentorum figurae RVYSCHIANAE (XIII) omnino insignes sunt. A pube dependet colis, communia corporis integumenta nactus, quibus succumbentia primus demonstrauit RVYSCH (XIII) tegumentum neruosum atque cellulofam membranam. Balani uero fabricam idem ille paene absoluit. Ad ortum eius uidebat extra cutem prominulas papillas, quibus & atrox dolor, & resoluens corpus uoluptas adscribebantur (XV), relegatis rursus

glan-

(X) Thesau: Anatom: VII. n: LI.

(XI) Vid. notae in prodromum Jo: van HORNE p. 7.

(XII) In prodromo.

(XIII) In Thesau: Anatom: IIII. & IX. Tab: III. Fig: III.

(XIIII) Vid. respons: ad epist: probl: XV. & Aduers: Anat: Cbirurg: Dec: I. p. 21. ubi & errorem proprium de tegumento neruoso duplici correxit.

(XV) L: c: ad not. XIII. & Fig. I.



*glandulis* (xvi). Immunis tamen est ab errore, qui utrumque, & *papillas*, & *cryptas* MORGAGNIANAS atque SANTORINIANAS statuit. *Ipsum* autem *glandis corpus est corporum cauernosorum penis atque urethrae productio, ita quidem, ut huius productio interiorem glandem efficiat, exteriorem uero corpus maius nerueo-spongiosum continuatum.* Tali glandis structura posita, insignes inde consequiebantur propositiones practicae, alias non explicabiles (xvii). Sed *de strieto uasorum reti, ligamentosis corporum cauernosorum penis productionibus firmato, quod in glande colis postea descripsit SANTORINI* (xix), nulla umquam mentio apud RVYSCHIIUM. *Cur, in cadauere, tempore aestiuo, quandoque erigatur penis?* Itidem explicuit Φαιόμενον (xix).

Peruentum ultimo est ad ὄργανα generationis feminae; de quibus elegantiora RVYSCHIANA communicabo, posteaquam de *mammis mulierum* dixero. De iis ecce uerba *Auctoris: substantia mammae neutiquam glandulosa, sed uero talis, qualis non datur in toto corpore, praeterquam, quod aliquam ἀναλογίαν habeat cum parastatis humanis, scilicet tenacissima, albissima, & neutiquam euoluenda. Rotundae particulae, quae in mammis reperiuntur, mera sunt pinguedo; ceterae particulae rotundae, in papillae extremo, capitis aciculae minoris magnitudine, papillae mihi sunt, quae sensationem vel sensum ibi praestant* (xx).

Semen uiri ad generationem proles requiri omnino; constat apud omnes. Sed disputatum uehementer; an illud necessario pertingere debeat in uterum? Vel tubas? Vel ipsa ouaria? Quicumque non temere sentiunt de rebus, nondum decisam rem dixere: ceteri aliter. In uastis feminis brutis atque libidinosis, mox post coitum, numquam in utero earum de-

(xvi) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: I. n: V.*

(xvii) *In Cent: Obs: Obseru: C. Fig: LXXV. & seqq.*

(xix) *Obseru: Anatom: Cap. X. §. XIII.*

(xix) *Thesauri Anatom: X. n: XCV.*

(xx) *Curarum posteriorum n: CLXII.*



deprehensum semen maris. Non parum id adflixit obseruatorem incomparabilem, GVILIELMVM HARVAEVM. RVYSCHIUS autem, cui contingebat, ea uidere quae reliqui optarant, non uiderant, uidit *in utero feminae, mox post coitum uenericum aperto, semen album & bene coctum, aut saltim substantiam, quae semini uirili ad colorem & uisum similis erat* (XXI). Idemque bis uidit *in utraque tuba uteri* (XXII). Obseruatio talis euincere putata est Physiologis, a mare cum femina non communicari Archaeum quendam spirituofum, qui, ubi cum crasso genitali humore a uiro excretus, corporeis mox liberatus repagulis, inuisibilis oberret muliebria loca; sed ipsum uiscosum crassumque semen, sobolem daturum. Et quamquam spirituofus ille humani feminis uapor, nec obseruatione, nec firmo cuiquam cognitus argumento, blandiens sit figmentum, ex incomprehensa lassitudine corporis, congressum excipiente; ex ignorantia existentis notionis morbi in quarundam sanitate partium, & epilepsiae uerae in coitu contingentis, secundum doctrinam ARETAEI CAPPADOCIS; noluerunt tamen Itali, SANTORINI inquam atque BRINIVS fidem mox adhibere RVYSCHIO; praesertim, *quum in tenellis atque recens natis puellis humectae semper sint interna tubarum tunicae atque mucosae quasi obsitae. Praecipue in trimestri epileptica, ex punctulo hymenis perforati uiscosus mucus prodiit, qualis & orificio uteri firmiter inhaesit; parilisque mucosus liquor ex tubis FALLOPIANIS, post inflationem, erupit; ramulique uasorum, ad tubas a testibus, aperti, notabili satis albore similem humorem ostenderunt* (XXIII). Quae si epilepticis euenere puellis; ecur non eueniant aequae, atque magis, adultae feminae, durante coitu, fere epilepticae? Et in primis mox, cessante libidine,

(XXI) *Theaur: Anat: VI. n: XXI. & Tab: V. Fig: I.; ut & Aduers: Anat: Chirurg: Dec: I. n: I. Tab: II. Fig: III.*

(XXII) *Ibidem.*

(XXIII) *Vid: P: J: HARTMANN dubia de generatione uniparorum ex oue §. XXVIII.*



ne, trucidatae? Quum in uiolenter extinctis, uitae tragoe-  
diam claudere soleat a sacro non adeo dissimilis morbus.  
Non tamen adtendere uolo illi dictioni BRINIANAE, quod  
RVYSCHIVS non locutus fuerit de se, obseruata liquido, dum  
materiem, in tubis atque utero animaduersam, potius simi-  
lem humano semini adpellare maluerit, quam ipsum semen.  
Ita enim ferebat obseruatio RVYSCHII: ita ferebat obseruatio  
GVILIELMI CHESELDEN; nec ullius umquam aliter ferre  
potest obseruatio. Vnde enim agnoscis uerum semen, nisi  
ex eius colore, odore, atque emissionem, suis ex natalibus?  
Atque ideo in ipsa uirulenta gonorrhoea non dicunt semen  
excerni, sed huic similem materiem.

Semen hocce uiri feminina foecundat oua. Quare, nisi  
ipsi iniecto obuium fiat abruptum rigore uenereo ouum; ad  
ipsum pertingere debet ouarium. Via utique longa, &  
inflexa satis. Breuius igitur iter semini ad commodaturi,  
MARTINVS NABOTH, atque alii, aliud feminae pararunt  
ouarium; ad cervicem nempe uterinam positas uesiculas.  
Sed nulla ueri species inerat sententiae. RVYSCHIVS, cal-  
culum rogatus, illas dixit *hydatidum, inter rugas ualuulo-  
sas, os uteri internum obsidentes, natarum congeriem* (XXIIII).  
Quas sphaerulas ab hydatidum abesse natura, RVYSCHIVM  
autem ceterosque, eodem sermone utentes, a uero; facile  
probabat MORGAGNI (XXV). Quam beata autem illarum  
parturienti sit lubricitas; elegantem me memini legisse ob-  
seruationem apud SANTORINI (XXVI), toties quem exem-  
plum proposui Anatomicis. Antiqua sede sic adserta ouario;  
notandum est, impraegnatarum bullularum statum, qua-  
lem MALPIGHIANA praecipue indagine cognoueramus, con-  
firmari potius per RVYSCHIVM, quam detegi. *Calix, in-  
quam, ouum qui complexus erat in ouario, ouo expulso, re-  
liquus manet in ouario* (XXVII); cuius in medio foramen aut  
G cavitas

(XXIIII) *Aduersar: Anat: Chirurg: Dec. I. n: II.*

(XXXV) *In Aduers: Anatom: I. animad: XXXII.*

(XXVI) *Loc: cit: Cap: XI. § IX.*

(XXVII) *Theaur: Anat: VI. n: XXI & Aduers: Anat: Chirurg: Dec: III.  
n: IIII.*



*cavitas exigua reperitur, osculum cavitatis, iam denuo contractae, ex qua oui contentum prognatum erat (XXIIX).*

Embrionem, & postea foetum, duae insignes in utero involuunt membranae; altera *chorios*; *amnios* altera. Prior in duas, forte & plures lamellas separabilis est facile. *Exterior opaca, crassior, non extensilis, utramque placentae faciem, obuersam & utero, & foetui, obducit, cuius pars, per quam usa sanguinea dispersa sunt rarissime, a placenta recedit, uillosa placentae dicta RVYSCHIO (XXIX).* Vt enim humor lacteus, in bonum animalis corporis publicum cessurus, in uillis praecipue intestini ieiuni, per patula lacteorum oscula capillaria, probante JOANNE CONRADO a BRVNN, absorbetur; ita uicissim *latex alibilis*, in intima uteri tunica, ex repetita SANTORINI observatione reapse *uillosa*, uel secundum RVYSCHIIUM (XXX), *in uasis ipsius, uermiculari fortasse reptatu incedentibus, paratus, per descriptam placentae uillosam, ueluti per saccum, seu colum transducitur.* Siphunculi ergo placentae non sunt immediate continui uterinis arteriis; sed *placentae uasis extremis firmiter adnata est grysea, uillosa illa tunica (XXXI).* En nouum Tibi exemplum, in quo morbi notionem in sanitatis statu pensites iterum. Erumpat, integra de feminae cute, per periodos, sanguis; seque torquebit plurimum Physicus, obseruati, tamquam rarioris, daturus caussam; quum tamen tali RVYSCHIANA sedulitate patefactum sit, naturam in grauidae abditis idem, omni momento, praestare portentum. *Lamella chorii altera, respiciens foetum, est pellucida ac tenuissima, Pseudoallantois RVYSCHIO.* Datur ergo uera duplicatura chorii. *Quoties iam, praeter morem locorum horum, in eadem aliquis continetur humor, qui potest esse amnii liquor, eo stillans; toties idem ille humor haberi*

(XXIIX). *Thesau: Anat: VI. n: XXXII. not: IIII.*

(XXIX) *Thesau: Anatom: V. n: XLI. Tab: 1. Fig: I.*

(XXX) *Thesaur: Anat: II. p: 27. Tab: VI. Fig: VI. & Thes: Anat: VII. n: XVI.*

(XXXI) *Thes: Anat: II. p: 27. & Thes: Anat: V. n: LVII.*



beri poterit pro lotio; lamella illa pro urinaria membrana, praesente in brutorum foetibus; desiderata in humano (XXXII). Erronee tamen talia statui, ubique scribebat RUVSCH. Eccui enim rei seruiat apotheca lotii; quum inferre eidem uel guttulam feure uetare uideatur *ad transuersum digitum, numquam integre, peruius urachus* (XXXIII). Neque ulli, tamquam uisa in humano foetu, descripta, nisi forte STEPHANO HALES. Proponunt tamen fideles morborum obseruatores exempla eorum, quibus ex umbilico semper per vitam excretum lotium. Quod an aliter, quam, uracho ubique transforato, contingere possit; uix, ac ne uix quidem, concipitur. *Epar uero uterinum*, ex opinione antiqua; *pulmo uterinus*, ex emendatione MALPIGHIANA; *cerebrum uterinum*, censente RUVSCH; *placenta*, inquam, *foetus* exactissime repleta, materie ceracea, *nullas umquam admisit glandulas, sed uasa, corticis cerebri ramusculis simillima, adeo exigua, ut in nullo umquam uiscere aequae paruae deprehensae fuerint ramificationes* (XXXIII). Quaenam uero sit illa placentae arteria? An arteriae umbilicali sit continua quaedam? Et quid de eius sit statuendum fabrica, lubenti animo discam ab aliis. Sic scribentem lege RUVSCHIIUM (XXXV): *Quid censendum putas de fabrica arteriae placentae? Haec paucis innotuit recte. Certe membranacea huius arteriae in placenta structura adeo est tenuis, ut uideatur esse uas lymphaticum, ualuulis omnino carens. Quaenam sit huius singularis, hoc loco, arteriae constructio, facile non dixerim. His uero, qui acutius me uident, propono excutiendum. Intimum tegumentum uteri uillosum, uterinis atque placentae uasis immediatum nexum prohibens; progressumque uermicularem uasorum in interna uteri membrana adeo probabat VIEVSSENS, ut illa nouo suo uasorum syste-*

G 2

mati,

(XXXII) *Loc: cit: ex Thes: V. & Thes: Anat: X. n: CLV.*(XXXIII) *Thesaur: Anatom: III. n: XXX.*(XXXIII) *Thesaur: Anatom: II. p: XXIII. Tab: 17. & Thesaur: Anatom: V. Tab: I. Fig: I. D.*(XXXV) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II. n: X. p: 42.*



*mati*, non nominato Rvvschio, intulerit. Tale factum iterum graviter tulit *Noster* (xxxvi).

Hospitis descripsi domicilium. Habet iam embrio, unde ibi uiuat; unde ibi crescat; unde ibi fiat foetus; a primo suo tale in ergastulum introitu usque ad supremum diem, quo eidem laetum uale dicturus. Is fuit Rvvsch, qui paulatina embrionis incrementa spectare ac conseruare ualuit; prout pullis olim adtenderat in obseruatorum regno princeps, MALPIGHI. Sic collectus Rvvschio *ἀνθρώπων γενέας* thesaurus; certe, si intelligens obtingat censor, omni auri pretio superior. Contuearis ibi embriones, a grani fabuli paruitate usque ad foetus, mox excludendi, magnitudinem. Neque ille in digniores umquam incidere potuisset manus, quam quidem in *Immortalis* PETRI MAGNI, IMPERATORIS; cuius, omnis boni instauratoris, perspicacitas omnium, omni saeculo, celebrabitur linguis. Seruatur is hodie *Petropoli*; singulare *gazophylacii Caesarei* ornamentum, cui par non exstat in orbe. *Facile ibi est notare, quam ratione, successu temporis, suam figuram quotidie mutant embriones. Apparent quippe nulli omnino artus in primo embryonis statu; postea uero in locis, ubi humeri & femora deinceps apparebunt, tubercula modo exigua prominent, ex quibus, post longam diem, humeri, brachia, manus, femora, crura, pedes explicantur & prodeunt.* (xxxvii). Facile eadem notauit ipse; ubi idem Petroburgi his oculis meis uidi spectaculum; quem conspectum summum diuturni itineris numeravi praemium. Quibus ceteris, eadem lustrandi, non obtingit felicitas; hi descripta legant, quae in *assere secundo thesauri Anatomici sexti continentur*; eidemque adsculptas *thesauro figuras* defixis contemplantur oculis.

XIII. Argumentum primum concludat tractatio Anatomico-Physiologica Rvvschiana de *musculis*. Complectitur illa pauca. *Repletione in substantiam musculosam brachii facta,*

(xxxvi) In *prodromo ad Thesaur: Anatomici*: VI.

(xxxvii) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II. p. 28.*



*Et*, conspiciebatur materiae ceraceae rubrae, roris instar, per muscularem substantiam exitus (I). Idem euenit in corde, musculorum classi illato, cuius ultimae extremitates, tomenti instar, tenues, ceraceae materiae transitum concedebant per cordis substantiam musculosam, sub forma nubeculae, nulla extrauafatione praeternaturali facta (II). Quae omnia non eo propono animo, ut RVYSCHius noua sic dixisse credatur; quum illud iam ante intellexisse JOANNEM GOTTSCHED (III), non sim ignarus; sed quo commilitones ad uerum effecti huius usum detegendum excitem, ceterosque ab errore GOTTSCHEDIANO (IIII) immunes praestem. Et in sano homine carnem sudare, quis dubitet? Non uero sanguinem ex patulis uasis excerni; certum est. Perspirant igitur carnes continue humorem, cruore tenuiorem. Tu iam determines; ob quem usum?

Tandem produco nouum, quo *uterum* donauit RVYSCH, *musculum*, a fibris eius circularibus *orbicularem* uocatum, ab *inuentore* & descriptum & depictum (V). Ubi placenta naturaliter adhaeret utero, id est, fundo eius; ibidem praecise caro haec innata est matri, quo fibris suis fat crassis detrudat secundinas. In solis cadaueribus puerperarum, prolem iam enixarum, ipsum conspexeris. Unde quum rara harum sectio, ideo tamdiu latuit hic musculus (VI). Verum non memini eius uidisse uestigia in *figura uteri puerperae*, suppeditata a JACOBO DOUGLASS (VII). Me ne-

G 3

scire

(I) *Curarum renouata: num: CIIIX.*(II) *Thefaur: Anat: VI. n: CXXV. & Aduers: Anat: Chirurg: Dec: I. 1: VI.*(III) *In Diss: de circulatione sanguinis, Cap: II. §: ult: Iniiciundo arteriam coloratam in uasa pedis arteriosa postea separando, nihil laedendo membranam musculi, effusam hinc inde reperit aquam.*(IIII) *Conclufit enim inde, uenas non esse continuas arteriis: sed illis interiici corpus quoddam medium.*(V) *Describitur in Aduers: Anat: Chirurg: Dec: II: n: X. & in tractatione Anatomica de musculo, in fundo uteri obseruato; cui quoque curatior adiecta figura.*(VI) *Ex tract: cit: de musculo in fundo uteri.*(VII) *Philos: Transact: N: 308.*



scire fateor, num quis musculum hunc uiderit, post RVYSCHium. Fidentes autem Anatomico, eundem adsumebant; uti BOERHAAVE (IIX); RVYSCHianum uocabant; multa super eo ratiocinabatur, interspersis plurimis, inuentori gloriosis, laudatus ante a RVYSCHIO HECQVET; inuentum gratulabatur praeceptorum ABRAHAMVS VATERVS. Ceterum, quum iam olim fibras carneas utero negasset VIEVSSENS (IX); musculum orbicularem non admittebat SANTORINI (X); numquam uidit LAVRENTIVS HEISTERVS (XI). Quamquam inter hos unus, in re argumenti Anatomici non sola demonstratione Anatomica in litteris priuatis utens, querelas longas per saepe extorserit magistro ueteri (XII). Reuocasse tandem errorem suum dicitur senex (XIII).

XIII. Tot tantaque enumeravi inuenta RVYSCHiana, ut omnis aetas humana per ea sola consumpta haberi possit. Sique dictis nihil adstruere uel uellem, uel possem; celebre tamen semper duraret nomen RVYSCHii. Quot enim non decedunt Anatomici, qui ad intimiorem corporis humani cognitionem nihil contulerunt? Enimvero & rariores morbosos status ex cadaueribus notauit, seque Medicum praestitit omnino. Testantur id uel solae *observationes Anatomico-Chirurgicae*. Quare, quum non dicendorum inopia deficiam, sed ingente eorum copia potius obruar; rariora sola, quaeque singulariter proficua putarim, proferam, argumentum tractationis meae alterum sic absoluturus.

XV. Regredior ad *ossa*. Circa quae sequentia notabis uel rara, uel utilia. *Os pectoris* (quod raro, si unquam, uisum) ex undecim ossiculis conflatum aliquando uidit RVYSCH (1);

(IIX) *Institutionum Medicarum* §. 685.

(IX) *Loc: cit.*, p: 14-16.

(X) *Loc: cit: Cap: XI. §: X.*

(XI) *Obs: II. inter obseruat: miscell: practicas.*

(XII) BOHLIVS in citata epistola.

(XIII) *Ibidem.*



(I); inque puellula costas tredecim (II). *Auditus ossicula admodum confusa, extraque ordinem sibi adhaerentia in foetu humano deprehendit quandoque; a qua confusa adhaesione surditatem illi lateri praesagiebat prudenter, uiuus si factus fuisset infans (III). Mallem tamen, confusionem illam determinatius expressam fuisse ab obseruatore. In cadauere gibboso septem dorsi uertebras per ἀγκυλίωσιν coalitas, inque orbem ita recuruatas expertus est, ut supremæ uertebræ corpus cum imæ corpore coniunctum fuerit (IIII). Sed quid medullæ spinali accidit? Quid ahorti? Caremus adhuc exacta gibbosorum φυσιολογίᾳ atque παθολογίᾳ, in quibus spinæ curuedinem imitatur parallela gibbosaque ipsa aorta. Inter eos, qui de luxatione femoris ex acetabulo coxæ rariore difficilioreque, faciliore autem, indeque frequentiore colli eius fractura scriplerunt, primus haud dubie est RVYSCH. Post hunc, adducimus cum reliquis, illos χειρουργίας antistites, RAVIUM atque CHESELDEN. Vtroque in casu, consequitur claudicatio. Luxatio eiusmodi, ab externa causa facta, forte uisa nemini: certe non est uisa RVYSCHIO. Impediunt malum hocce securi custodes, uasti muscoli, illi circumdati loco, atque ligamenta, singularem articulum undequaque defendentia. Quamquam ab humorum adfluxu morbus hic contingat pluries. Caput autem femoris, ex osseo-spongiosa substantia, instar diploes cranii, quam ossea lamella admodum tenuis integit, constans, frangitur facilitate. Inde in cadaueribus claudicantium nunc inuenit RVYSCH (V) collum femoris in nihilum redactum; nunc eius, integri deficientis loco; ligamenta uaria, dura, crassa, teretia, quorum ope, femoris caput supremæ eiusdem  
partis*

(I) *Musei Anatomici RVYSCHiani* p: III.

(II) *Obs: I. Cap: III. ad dilucidat: ualu: in lymphæ:*

(III) *Theaur: Anatom: IIX. N: VI. not: I.*

(IIII) *Obseru: Anat: Chirur: LXVII. Similia legis in Philos: Transact: Num: 215.*

(V) *Thesau: Anat: IIX. n: CIII. Vid: & Thef: Anat: IX. n: XLIIII.*



*parti connatum fuerat* (VI) Mirabile id amplius reputo, neque ulli obseruatum procliuis sentio cum R V Y S C H I O, *cartilagine mobile, quae inter ossium, articulatim commissorum, extrema interponuntur*; ut inter utramque maxillam; in genu articulo, *quandoque deficere penitus* (VII). Qui defectus an conformationi malae adscribendus? An cuidam morbo? Quem quae comitata sint  $\Phi\alpha\iota\nu\acute{o}\mu\epsilon\nu\alpha$ ? Doleo, rem certe grauissimam, non amplius tactam fuisse ab adcurato alias R V Y S C H I O. De osse tibiae quaeramus Observatorem. Eo, *carie exeso, ex inueterata cariei cavitare frustum magnum, cauum & teres propullulauit*. Tibia enim aequae, ac cranium, *duas habet tabulas, mediamque diploen; unde, exesa per pus diploae, tabula ultima, fistulari forma, a natura fuit expulsa* (IIX). Specimen rei & uideas in *theatro Leidensi Anatomico* (IX). Quin & *quandoque sine cavitare reperta tibia; prout nonnumquam diploae caret cranium* (X). Exuuias uero *chrysalidum, diuersae, & triplicis quidem speciei, ossium in meditullis, in cavitatibus femoris, humerique aduulorum, inque tenelli osse infantis, in octo distinctis ossibus, deprehensas esse, id omnem supergreditur rationem*. Per quam uiam hospites hi ingressi fuerint ossa integra, nullis peruia rimulis, non cariosa; in medio reliquit R V Y S C H. *Dolore atrocissimo intima ossium peruagante, ubi nullus luei Celticae uel suspicio, uel signum; uermes, ossa rodentes statuebat R V Y S C H, argento uiuo occidendos; quos & eodem in ossibus se non semel necasse putabat* (XI). Qua ratione mercurius uermes interficiat; hic non disputabo. Sed succumbat intestinalis uermis enormi illius corporis percussus pondere; hoc tamen, per plures perductum ambages, inque minimis uasis debili

pro-

(VI) *Thef: Anatom: IX. n: LXXIII. Tab: I. Fig: I.*(VII) *Aduers: Anat: Chirurg: Dec: III. n: IX.*(IIX) *Thef: Anat: IIX. n: IIX. Tab: III. Fig: 2-4.*(IX) *Vid: B: S: ALBINI index supelletilis Anatomicae, quam Academia Batavae, quae Leidae est p. 13. 14.*(X) *Thef: Anat: II. p: 38.*(XI) *Aduers: Anatom: Chirurg: Dec: III. n: VI.*



proiectum ui, & parum fortiter hostem feriet, exiguaque feriet mole. Conuincimur talis modi obseruationibus; dari naturae arcana, post longam demum diem detegenda: & quemuis eo proficere magis sapientia, quo plus intelligit, se ignorare naturae abdita. Certe, uniuerso in corpore uix pars, in qua non deprehensus sit uermis. O-uilla cerebra uermiculi incolunt saepissime. Quis non miretur cum urina meare a Rvvschio uifas chrysalidas, post diem futuras auiculas?

XVI. Rariora Rvvschiana euoluamus circa humanas carnes. *Musculos pyramidales semel conspexit in cadauere tres* (I). Quum uero quaedam notetur relatio inter musculum pyramidalem uel utrumque, uel alterutrum, siue praesentem, siue absentem, ad ipsos rectos abdominis, ex doctrina Iulii Caesaris Arantii; defatigatam lugere fas est dissectoris industriam, circa non notatum musculorum rectorum statum, situmque, quem adcessorius occupat musculus. Adde mirabilem Rvvschii obseruationem, quam, cui rei adscribam, uel quorsum referam, certe ubique nescio. *Consistit in defectu cutis, partisque maxumae musculorum anteriorum abdominis in recens natis; ubi intestina nunc fluctuant extrorsum, tenui membrana tecta; nunc omni tegumento destituuntur* (II). Cui perspectum, carnem a sola natura generari posse, numquam a Medico; qui intelligit, circuitum cruoris per abdominalia uiscera feliciter peragi non posse, nisi abdomine clauso; ille arbitrabitur, breuis uitae finem misero tali aegro mox imminere debere.

XVII. Ad ea, quae circa quaecumque uasa notarat rariora, me confero tradenda. Omni silentio praetermittere nescio illa Rvvschio uisa *innumerabilia uascula alba, turgida, & setam tenuem crassa; nec lactea; nec sanguinea; nec lymphatica; quae, in cadauere feminino, a morbofo pu-*  
H
ris-

(I) *Thesau: Anatom: III. u: LXXXIII.*

(II) *Obseru: Anatom-Chirurg. LXXI-LXXIII.*



*risque plenissimo rene ad sinistrum tendebant hypochondrium. Vbinam terminarent, non licuit sat adcurate inuestigare. Has credidit fibras esse cauas, quae membranas constituunt, ureteres adligantes lumbis.* Tales obseruationes suo forte determinaturas tempore sperabat uias illas incognitas, per quas potus, corde intacto, pertingere posset uel ad renes, uel ad ureteres, uel ad uesicam (I).

Circumspiciamus nos circa sanguinem uehentes canales. Inuenio tamen circa cruorem, quae adduci merentur, in praxi Medica utilissima. Duplicem exhibeo experientiam **R**VYSCHIANAM. *In femina annorum uiginti sanguini menstruo exitum negauerat membrana, obturans loca, quae perspirant naturaliter: sectione uero facta, cruor cum impetu erupit ad quatuor libras, neutiquam coagulatus, multo minus putrefactus, sed nigricans (II).* Vnde propositio practica: sanguis, extra uasa fusus, in loco clauso, diu potest manere incorruptus. Itaque & hac ratione probari potest propositio, utique & aliunde certa: sanguis, effusus in capite, apoplecticum uel reddit, uel necat, sola grauitatione, uel in cerebrum, uel in cerebellum. Obseruatio altera est sequens: *Inter spoliandum splene canem, arteria lienaris non ligata, stillauit sanguinem in abdomen, atque animal, abdomine consuto, bene se postea habuit (III).* Vnde eucta fuit propositio grauis: Paucus sanguis, e uiscere non uitali effusus in cauum quoddam, ubi nulla aeri uia patet, non tantum infert damnum, quantum quidem putatur. Nec minus patuit secundo: Dari in abdomine uenas, halituosos quae resorbeant humores. In ferum enim resolutum fuisse sanguinem, clarum est; resorptioni non adeo ineptum, praecipue fotum uiui calore abdominis.

Arterias sanguineas, uariis in locis corporis, & praecipue

(I) *Obseru: Anatom: Chirur: XCIII. Fig: LXXV. cccc. Conf: cum n: III. Dec: 11. Aduers: Anatom: Chirur:*

(II) *Obseru: Anat: Chirur: XXXII.*

(III) *Obseru: Anat: Chirur: LXVI:*



pue in uicinia cordis, offescere; est res uulgarissima: rarior uero longe in uenis contingens. De uena portarum ossea bis fit mentio apud R V Y S C H I U M. Semel quidem in femina, in qua uasa difficiliter redduntur ossea, nisi uetula plare fuerit, & hydropica quidem, uena portarum ex parte ossea reperta fuit. Peritonaeum eius, uariis in locis, duris particulis, arenulas mentientibus, conspersum fuit (I I I I). Neque nego, osseam *ιάθησι* inductam uenae fuisse ab *ἀτροφία* & marcore corporis. Vascula nempe lateralia in uenae nominatae tunicis cum liquido suo, per abducta liquidiora atque stagnatione sui exsiccato, concreuerunt. In altero uenae portarum osseae exemplo nulla adiecta circumstantia (V). An hoc seruire potest pro uenae portarum natura arteriae simili firmanda?

Qui in uasis saepius residet *ὕδρωψ*, iure sibi hic locum postulat; praecipue quum *θροφία* eius, acumine R V Y S C H I A N O, multum prouecta sit. Ascitis, atque hydropis *ἀνα σάρκα*, ut & omnis hydropis causam in debilitate & mala adfectione extremitatum uenosarum in primis ponebat; licet non negarit, & uasa lymphatica rupta eundem saepius producere morbum (VI). Ingenuè confiteor, debilitatem illam atque malam adfectionem mihi ualde obscuram esse, neque reperiri alio in loco R V Y S C H I A N O, illam quod explicet. Hydatides, quae hydropis sunt species, uascula esse definiuit, praesertim sanguinea, sero turgida; licet & alia uasa in hydatides commutari posse concesserit (VII). Quam definitionem absouam iudicat omnis oculus. Bullulas esse uasa! Tango celebre illud argumentum, atque omnium paene ualentissimum, pro structura uiscerum glandulosa. Quia *επαρ totum*, hydropici in cadauere, ex hydatidibus conflatum erat

H 2

(IIX);

(I I I I) Obseru: Anat: Chirurg: LXX.

(V) Thesau: Anatom: IIX. n: LIIX.

(VI) Resp: ad epist: probl: XII. Et Aduers: Anat: Chirurgi: Dec: II. n: IX.

(VII) In respons: ad epist: problem: XII.



(IIX); uti & euenit *plexui choroideo* (IX); & *renibus, quorum hydatidibus ruptis, aqua stillat in abdomen* (X); nec non *placentae uterinae* (XI); ergo *epar, plexus choroideus, renes, placenta uteri*, in statu sano, constare debent ex folliculis quibusdam uel glandulis, nunc aqua dilatatis atque conspicuis, quae hydatides. Quare hydatidis est folliculus ab stagnantis aquae augmento in maiorem eleuatus bullulam. Ipse olim non aliter ratiocinabatur Rvvsch (XII). Tandem uero quum, repletione felici, uti dictum,prehenderet, *epar, plexum choroideum, renes atque placentam uteri*, tota quanta, ex solis componi uasis, atque *placentam quidem omni priuatam esse lymphatico folliculo, uase lymphatico omni*; quae tamen omnia recentiorum quorundam Physiologorum temeritas, pro faciliore explicacione hydatidum, in placenta numerauerat; concludere poterat sat firmiter, hydatides esse uascula, in primis sanguinea, sero turgida. Dubia uero aliquantum reddebatur haec de uasculosa uiscerum structura naturaque hydatidum doctrina. Fac enim ualere exceptionem ceterorum; quod, repletione ualida, intermedius, membranaceus comprimatur folliculus, uel & suam deserat figuram, ut, specie non repleti, decidat; in omni enim parte corporis repleta, dantur particulae non repletae: tum nullatenus sequitur, hydatidas esse uascula sanguinea, turgida sero; quum & tunc esse possint extensi folliculi. Quare, ut firmissimus fias in sententia Rvvschiana; notes, quaeso, rarissimam obseruationem Rvvschii, quam neglexisse uidentur ad-

uer-

(IIX) *Ibidem.*

(IX) *Ibidem.*

(X) *Ex litteris* MONT. Vid: *Journal des sçavans* a: 1700. p: 656.

(XI) *Obseru: Anat: Chirurg: XXXIII. Fig: 34. 35. Nec non in Thesau: Anat: VI. n: CIII.*

(XII) Meretur adscribi locus ex *obseru: XXXIII. citata: Vasorum extensiones esse hydatides quis sibi imaginari posset? Tum enim maximae reperirentur hydatides circa placentae medium; iam uero sine ullo ordine positae sunt, & maiores, & minores. Praeter ea obseruaui, uasa illa adnihilari, ut uix ramulus restet:*



uerfarii, quod *in cadauere hydropici epar repertum fuerit totum quantum ex hydatidibus conflatum, maiorum uasorum epaticorum ne uestigio reliquo* (XIII). Quare quinque magni uenae portarum; tres magni uenae cauae; atque rami arteriae epaticae, notante prius JOANNE CONRADO PECHLINO, rem postea perficiente AVGVSTINO FRIDERICO WALTHER, fat capacis, mutati fuerunt in hydatidas. Hinc uasa sanguinea maiora possunt mutari in hydatidas. Minora ergo facilius longe. Iam, siue explicatio RVYSCHIANA pro intelligenda hac uasorum in hydatidas commutatione Tibi satisfaciat, siue minus, qua *cellulosam uasorum tunicam latice repleti aquoso, cavitatemque uasorum ita premi statuit, ut nihil cavitatis supermaneat, sicque non minora solum, sed & maiora oblitterentur uasa* (XIII); sufficit, propositionem ab experientia ita certam redditam fuisse, quam quod est certissimum.

*Spina bifida*, non adeo adcurate NICOLAO descripta TVLPIO, rectius RVYSCHIO; potius est morbi effectus, quam ipse morbus, nomen adfectioni imponere qui potuisset. Quae cerebra infantum in aquam uertit, craniique futuras a se remouet propius aegritudo: *eadem quoque in recens natis infantibus, medullae spinalis loco, aquam ostendit, uertebam, circa spinosum suum processum, diuidit; in dorso uel lumbis contingit saepius; in nucha rarius; inque inferiore & exteriori sacri ossis parte rarissime* (XV). Vti hydrops cerebri infantum a peruerso eorum in utero situ, ubi, demisso illorum capite, his in locis, stagnat aqua, deriuari debet; ita simile quid dicendum censeo de *hydrope medullae spinalis*.

XIIIX. Neque perpendisse poenitebit, quae morbosa, circa *uiscera*, adnotata nobis reliquit RVYSCH. In thorace raram, atque duplicem ab *Ipsa* nobis significatam detego

H 3

fere

(XIII) *Theaur: Anatom: I. pag. 23.*(XIII) *Thef: Anatom: VI. n: CIII.*(XV) *Obseru: Anatomico-Chirurg: obs: XXXIII--XXXVI.*



fere omnimode laesae respirationis causam; quam quia praeteruisa uidetur, referre placet. In tribus hominibus, *δρθηπνοία laborantibus*, post obitum ipsorum, examinati illorum pulmones ostenderunt *uesiculas pleumonicas plures obstructas*; unde nec intrare poterat ipsas nouus aer; neque ex illis exire inclusus (I). Omnes pulmonum uesiculas, finge, uno obstrui momento; atque statues, eodem certe exanime casurum animal. Quo plures ergo uel pauciores obstruuntur uesiculae; eo maior uel minor animali nascitur in mortem conatus. Atque, me iudice, uera pleumonitis uitae talium hominum finem facit, cruore in pulmonum locis, ubi illae obstructae uesiculae, primum coaceruato, quum ab extensis illis, numquam concidentibus, sanguis non propellatur in cor sinistrum. Peruelis tamen scire a Rvyschio, quodnam corpus illas obturauerit bullulas?

Causa altera est *impeditus adfluxus sanguinis ad pulmones per ualuulas cordis, ad egressum aortae sitas, adeo deformes, coalitas, atque, quod mirum dictu, sic factas osseas, ut nihil amplius sanguinis in corpus peruenire potuerit* (II). Inde ab *ἀσφυξία* mors.

Omentum concretam tenet pinguedinem, quae singulari ratione, corpus animale necare potest. Adipem uerum esse oleum, probabat Rvysch. Quamquam iam illud mobili animali sit saluberrimum: quantum tamen ab ipso corpori obeso immineat periculum, sequente disce obseruatione: *In equi abdomine, post ualidum cursum mortui, aperto, tota eius cavitata tenui fuso oleo plena reperta* (III). Tanto calore fufum, atque agitatam bonum oleum, disruptis omenti cellulis, non compressione mortem intulerat, sed sui in uenas resorptu, eas obstruendo. Qui ductus alimentaris, omni tempore, uariorum obseruatus est sentina malorum: idem & mirabilia nonnumquam ostendit Rvyschio.

(I) *Ibidem; obseru: XIX—XXI. Fig: XX. XXI.*

(II) *Ibidem; obseru: LXIX. Fig: LVII.*

(III) *In resp: ad H: BOERHAAVE. p: 55.*



schio. *In femina, quam uiuentem canina uexarat fames, pylorus ita relaxatus fuit, ut omnes digitos, iunctim compositos, admiserit (IIII).* Cibus ergo admissus in uentriculum, numquam moratus in ipso, ex eo elapsus est indigestus, tamquam ex sacco, in intestina; humore uentriculi, numquam consumto, fibras eius semper vellicante. In nonnullis uoracissimis hominibus in sinistro hypochondrio detexerunt quidam uentriculum, perpendiculariter plane situm. Binae obseruationes hae, quoad rem, eadem sunt: alteraque ab altera redditur euidentiore. *In intestino ileo notandum est singulare diuerticulum, eidem saepius accidens (V), aneurisma intestini diceret; cuius in extremo nonnumquam conspiciuntur uesiculae, capitula aciculorum repraesentantes (VI).* *In recto intestino descriptus est foedus ac dirus morbus, ubi, ipso incrassato, ac cartilaginoso reddito, uix egressum reperiunt quantumuis pressae faeces; adeo quidem, ut non minores sint agenda gratiae pro excretis feliciter, quam pro bene adsumtis (VII).* Circa illam mortales tantopere excruciantem, saepiusque internecioni dantem, aegrimoniam, miserere mei dictam, Medicos admodum sollicitos uoluit cura R V Y S C H I I. Inter alias suas causas & agnoscit illam ualde frequentem, *susceptionem intestini in intestinum.* Quamquam & meminerim, in hominis, subitanea, ut aiebant, morte perempti, cadauere dissoluisse arctissimo nodo inter se colligatas portiones ilei. Eandem intus susceptionem intestini non solum quatuor quinqueue locis in uno eodemque reperit cadauere, sed & in plurimis offendit cadaueribus, immo in tribus, successue apertis (IIX), aliquando in quatuor, continua sectione apertis (IX). Eandem & in colo uidit intestino, inque, quod plane stupendum, *infantis recens nati cadauere (X).*

Cir-

(IIII) Obseru. Anatomico-Chirurg:; obs: LXIII.

(V) Musci Anat: R V Y S C H I I I p: 149. F: III.

(VI) Thesaur: Anatom: VII. Tab. III. Fig: 2. 3.

(VII) Obseru. Anatomico-Chirurg: Obseru. XCVI.

(IIX) Thesauri Anatom: X. n: LXII.

(IX) Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: III. n: V.

(X) Ibidem.



Circumspectum ergo decet esse Clinicum, illumque saepius praesumere morbum, ne auertenda forte mors ipsum reddat morbi peritum. Id addo unicum; *ubi a flatu hic morbus ortus fuerit, orbiculi loco, duas uideri in colo ualuulas (XI).* Quod φαινόμενον consentire uidetur cum uera, nondum descripta, ualuulae illius fabrica. *Intestina, naturaliter adnexa mesenterio, hoc ab apostemate purulento putrefacto, soluta suis meseraicis uinculis, libera & confusa in abdomine fluctuasse, dum sic adfecto homini uita nihilominus, licet breui quidem tempore, fuerit superstes, in toto uitae suae Medicae decursu semel uidit RVYSCH (XII).* Quamquam non liberorum sic intestinorum effectis, quam phthisi potius mesentericae hic adscribendus uideatur uitae exitus. *Adplicatam cauo epatis uesiculam ductum porrigere, innotuit apud omnes; rarius autem narratur, quamquam id in uaccis praecipue ac uitulis frequenter obtingat, bifurcatam illam reperi. Geminam uero uesicam felleam, id est, duplici quae gaudeat ductu cystico, ne semel quidem obseruare potuit RVYSCH (XIII); licet porus biliaris ex epatis lobulis saepe prodeat duplex in canibus, praemonente MALPIGHI. In ditione splenis infrequens iudico ψευδο. lienes, spleni adsitos, huic perfecte similes, a lienaribus uasis suos qui nanciscuntur ramos (XIIII).* An hi ita se habent ad splenem, uti se habet conglobata glandula ad saliuosam maxillarem superiorem, cui insidet? sed expunximus lienem glandularum e catalogo. Forte uero sunt lienes multiplices. Hos enim nunc duos, nunc tres, nunc quatuor obseruarunt alii. Ne de renibus nihil plane dicam, in quorum constructione rarius est constantem uidere naturam, quam inconstantem; scias, binis exemplis probatam esse ab obseruatore RVYSCHIO renum, *ex duris coagmentatorum particulis, inaequalitatem superficiei, locales renalis calculi efficientem dolores (XV).*

(XI) Curarum posteriorum n: CLXVI.

(XII) Aduers: Anatomico-Chirurgicorum Dec: II. n: III.

(XIII) Obseruat: Anatomico-Chirurg:; obs: XC.

(XIIII) Ibidem; obs: LI.



(xv). Videtis tamen & similem apud RVVVSCHIVM obseruationem, absque ulla tamen historia symptomatis (xvi); quin & mirabilia alia circa renes, ipsi nec uisa EVSTACHIO. Quodsi pars quaedam animalis in dilatatum recipitur peritoneum, adesse dicitur *hernia*. In quo igitur loco peritoneum extensioni obstat minus, atque simul praesens est pars, cedere quae possit; ibi & locus est herniae. Corpus, recipiendum in herniam, morbo singularem confert titulum. Et huius herniae species auxit RVVVSCH. Lege apud *Eundem de hernia splenis, uteri, foetus atque uesicae* (xvii), de quibus silentium apud scriptores reliquos omnes. *Hernia* autem *cystica* res est tam curiosa, quam notabilis in praxi Medica. *Cadit urinaria uesica in scrotum, neque ex illa, plenissima licet, excernetur lotium, nisi manu compresseris bursam*; qua compressione externa cum nisu excretionis concurrente, euacuatur tota (xix). Verbum addam de aliis binis uesicae morbis, quod ualde singulares illos existimem. Alter est *scabies eius interna, aliquoties uisa RVVVSCHIO, cui dolor uehementior, desiderium mingendi frequentius, urinae purulentae excretio, atque magna uesicae incrassatio, iunguntur ex morbi natura, locique adfecti* (xix). Alter est *excretio membranae eius intimae, semel uisa RVVVSCHIO, dum in puerpera, post retentum diu lotium, uesicaeque inflammationem praegressam, tunica illa sphacelata secesserat a reliquis* (xx). Explicationem uero termini, *connati uesicae calculi; sententiamque, de numquam fere uiso inter uesicae tunicas calculo*; quod utrumque legitur apud RVVVSCHIVM (xxi); nec adridere lithotomis opinor, neque respondere

I

ex-

(xv) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: I. n: IX.*

(xvi) *Obseruationum Anatomico-Chirurg:; obs: XXC.*

(xvii) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: IX.*

(xix) *Obseru: Anatomico-Chirurg: obseru: XCIIIX.*

(xix) *Ibidem; obs: LXXIIIX. Fig: LXII.*

(xx) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: IX. T. II. Fig: I.*

(xxi) *Thes: Anat: II. p: 16.*



experientiae. Certe, triste ISAACI CASAVBONI fatum illud refellit satis (XXII).

Qui ita cotidie proficiebat experientia RVVYCH, inque continua omnis generis cadauerum sectione uersabatur, dignus quoque est habitus, qui *primus in uasta ciuitate Amstelredamensi lectiones in usum obstetricum haberet* (XXIII); unde nec mirum, permulta innotuisse per RVVYCHUM, quae in parturientibus feminis & usu ueniunt, & praeclaram utilitatem habere possunt; praesertim, *quum Ipse, aliquot per annos, obstetriciam artem exercuerit semper & frequentissime. Praeter duo illa ligamenta rotunda, adhuc tertium quoddam, raro euentu notauit, a latere uterinae cervicis exiens* (XXIII). *Vterum, qui in partu potius protrahitur, quam prolabitur, inuersus, & non inuersum, id est, in naturali suo situ, prolabi posse, duplici probabat obseruatione* (XXV). Circa numerum uterinae placentae in foetu multiplicato non puto, alia statuisse RVVYCHUM, quam reliquos priores. Quod enim alii iam diu publicarant, figurisque delinearant, *gemellis, caussa exempli, nunc duas obtigisse placentas, singulo foetui unam; nunc unam utrique; idem & legas apud RVVYCHUM* (XXVI). Experientiae autem hae quum pronae sint ad circumueniendum; nihil certe euincant: nihil quoque obstare possunt argumentis, firmis, *singulo ouo suam uendicantibus placentam. Quae in obstetricia arte correctae sunt per RVVYCHUM, ea potius paucis referre decet in illa inexercitatum, quam de suo addere errores. Cetera ex Ipso praestat haurire Auctore. Candorem, adcuracionem atque obseruationum frequentiam cogita in RVVYCHIO; Tuumque Ipsi facilis praebebis adfensum. Placenta foetus nunc facile separatur ab utero puerperae; nunc diffi-*

(XXII) PECHLINVS l. c: L. I. obs: II. & Acta Parisina a: 1702.

(XXIII) Obseru: Anatomico-Chirurg: obs: XXIX.

(XXIII) Ibidem; obs: LXXXIX.

(XXV) Ibidem; obs: VII. IX.

(XXVI) Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: X.



difficilius. Id est in confesso apud omnes. Quae laboriosior auulsio uti & aliis est adscribenda caussis ; ita quoque , monente R V Y S C H ( XXVII ), *centrali funiculi umbilicalis insertioni in placentam. Abscedit autem leuiori negotio, a latere si infixus placentae funis.* Res omnis aegrius capitur, quam profertur ; atque R V Y S C H ianum simile potius sententiam refellit , quam roborat. Nosti enim , in quacumque funiculi insertione, in eius corpore contineri truncos uasorum omnium , per placentam disseminatorum. Quaecumque iam caussa matrem a placenta facile liberari impediatur ; placenta tamen potius in utero relinquenda. Nimium enim in separanda placenta obstetricis molimen matrem morte saepe saepius adficit. Relictam uero mater, auctis uiribus, mox mox expellet : uel, eiectione illa frustra exspectata, *placenta in utero transformabitur in hydatidas, siue nascetur inde illud uetularum desiderium, mola uolans (XXIIX).* Placentam in utero non ad horas, non ad dies, sed ad menses, remanere posse, immo & debere, *salua matre ;* Clinici stupent aequae, ac doctae mulierculae. Satis tamen se defendit *Ipsa R V Y S C H.* Molarum sane inconcussam conuenientemque notionem animis & oculis Practicorum insinuauit R V Y S C H. Pudet, delirasse diu Medicos cum uetulis. Inconsulta enim experientia, uaganteque ratiocinio ; languentibus tum Medicorum animis, quos semper Philosophos esse conueniebat ; circa menstruum feminae cruorem ; omneque generationis opus ; fatis, immo abundanter, saepe insaniuerunt vel optumi in aliis. Sufficiente enim rei ratione impersecta, ignorantiam suam velarunt usque rebus, quae naturalibus caussis maiores habentur. Stolidius nihil vel ab otiosissimo ingenio excogitari poterat, quam quidem uolans mola. Agnoscimus *molae* ; non uero per illas intelligimus, nisi *excrementias uteri carnosas,*

(XXVII) *Obseru: Anatomico-Chirurg: ; obs: XCVII.*(XXIIX) *Loc: cit: ad not: XXVI. Et de musculo uteri p: 16. &c.*



uel placentae in utero relictae transmutationes quascumque, vel & similes illis, quas circa γένεσιν polyporum e sanguine descripsi prius. Ita nos erudiuit *senex* idem & obstetrix (XXIX). *Doctrina de signis mortui in utero materno foetus* non adeo certa habita est semper. Si Rvvschium, ea de re, audias; & cautior fies quandoque. Etenim exitus foetidorum e matre; tenesmus; συγκοπή; horripulatio; halilitus graueolens; color liuidus matris; quae quoque inter signa illa recensentur; & putrefactum supponunt foetum, & reclusum uterum.

Quid uero eueniet, *utero clauso*? Atque tunc, praedocente Rvvsch (XXX), *cadauer foetus diu potest in utero haerere incorruptum*. Atque ita ferunt positiones Physicorum de putrefactione. Excluso autem postea cadauere foetus, & facile internoscet, an nunc, an diu iam mortem obierit foetus? Ita Rvvsch: *Embriones, diu mortui, colore cinereo tincti sunt, & collapsi penitus*. Si autem statim a morte excluduntur utero, albo donantur colore, atque undique torosi sunt & teretes (XXXI). Puerpera denique femina duo exhibet quandoque φαινόμενα, quae curiosis adnumeres cum Rvvschio. Alterum est *uerus uteri motus, post partum*. Se enim ille movet, hic inde, ut alius foetus; ut ibi caput, hic pedes, alibi partem aliam credas; re uero explorata, uterum sentis solum. Ita paullatim definit conuulsio. Motum autem illum uterinum aliquando esse posse tantum, ut, *inuersus, e corpore procidat*; solae, opinor, credent obstetrices, suum sic tecturae errorem, dum rudes toties inuersum eripiunt uterum (XXXII). Alterum autem sunt *duri, oblongi tumores, farciminis in modum se sistentes in abdomine, post partum, nunc obliqui,*  
nunc

(XXIX) *Obseru: Anatomico-Chirurg: ; obs: LIIX. & Thes: Anatom: VI: n: XXV.*

(XXX) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: X.*

(XXXI) *Ibidem.*

(XXXII) *Obseru: Anatomico-Chirurg: ; obs: XCIII.*



*nunc transuersi.* Quam iam partem censes illum in abdomine efficere tumorem? Vbi RVYSCH in eiusmodi cadauere *coarctatum in se atque concretum spectarat omentum*; explicatio rei erat facilis; ad tamen nullus, re non uisa, causam quaesiuisset in omento (XXXIII). Miros tandem partus, quales sunt *caniculus* (XXXIII), atque *limaci simile animal* (XXXV), *reiecti per os*, contorta explicatione hic non commemorabo. Talibus qui delectatur, abunde inuenit, unde sibi satisfaciat.

XIX. Ad *naturalem historiam animantia* omnia pertinent atque *uegetantia*. Vnicum habemus a RVYSCHIO *animalium thesaurum*; quem uero continuare in animum induxerat, nisi rogassent alii, ut descriptionem rariorum e corpore humano omnibus reliquis praeferret, in usum mortalium. In XV thesauris, quos habuit *animalculis repletos*, continebantur ultra MDLXXXII. *phialae*. Quibus adde *scatulas, papilionibus, locustis, scarabaeis, quadrupedibus minoribus, insectis, marinis, repletas, quae sunt numero MDCCCXX*. Praeter illa etiam reperiiebantur *phialae siccae, inque iis auicolae rariores, siccae, praesertim ex Indiis transmissae CXXC*. Tanta erant animalium diuitiae RVYSCHIO, iam ante duos & uiginti annos (1). In unico illo, quem euoluere licet, thesauro inuenies uel nominata, uel descripta, uel & elegantibus imaginibus expressa animantia & terrestria, & aquatilia, omnis generis, sed praecipue rariora ex Indiis, uolantia, repentia & gradientia. Vnicum adferam *bufoni simile Americanum animal, Surinamensibus Pipa & Pipal dictum, in cuius dorso, in cutis cellulis, ouula resident, exclusura foetus. Neque tamen mirum illud ouarium ullatenus communicat cum abdomine* (II).

Ultimo denique loco, plantarum anatomen, non cras-

I 3

fam

(XXXIII) *Ibidem; obs: LXIII.*

(XXXIII) *Thesau: Anatom: IX. n: XLIX.*

(XXXV) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: I. n: VII.*

(1) *Vide praefationem ad Thesau: Animalium I.*

(II) *Thesau: Animalium I. n: XXXV. Tab: III. Fig: II. III.*



fam illam, sed subtiliorem, exercuit pari felicitate, quam, circa humanum corpus, exposui nuper. Historia naturalis & ita creuit per Rvvschium; sed quis putasset, Rvvschianas de corpore humano propositiones physiologicas sic confirmatum iri? Id tentabat fenex inaudito molimine. Clarissimi omnium plantarum Anatomici a corporibus animalium ad plantas arguerant; hisque stomachum, uasa lactea, ceteraque, omnis fere generis; testiculos; colem; uterum; aliaque, ἀναλογία quadam, intulerant. Rvvschius autem contraria incedebat uia, atque ab experiētiis, in plantis habitis, ad animalia argumentabatur. Tale tantumque studium neque ardor animi deserebat, neque occasio. Adolescentem in stirpes propensionem Rvvschiani animi exposui prius. Ipsa uero muneris ratio tentantem uaria impulit magis. Namque *anno quinto & octogesimo saeculi modo praecedentis Professor Botanicus denominabatur Amstaelredami*, quum circa illud tempus & FLORAM sanctius colere inciperent *Amstaelredamenses*, hortumque instruerent *Medicum*, sensus curiosorum animosque Botanicorum adeo qui adlicit hodie. En rei summam! Folium constat ex neruis & humore, qui in utriculis, inter neruos contentus, transparet folii per cuticulas. Nerui illi sunt succosa uasa Rvvschio; interque illa uasa contentum non est, nisi mera pulpa. In *aloë Americana muricata pulpa adest inter canalium latera, pulpae lienis similis. Sed dissoluta pulpa ex minimis constat uasculis, inque ea resolui potest, ut corticis cerebri fabricam commode referre possit. In aloës Africanæ folio uasa succosa iuxta membranae, inuestientis folium, longitudinem decurrunt, atque eidem tunicae innectuntur firmissime. Alia diuersitas in folio opuntiae Americanae spinosae obtinet; ibi canales succosi sese intexerunt mutuo, tandem congressi omnes in unum locum, formant quasi nouum folium, dum, ab illo loco egressi, iterum sese diffundunt per loca alia (III).*

Vti

(III) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: III. num. II.*



Vti folia uasis superbiunt ; ita & fructus , atque reliquae plantae partes. Estque sua fructui pulpa. Vasa lienaria, suum ad ingressum in lienem , pedunculum pyri constitutione sua exponunt , atque pyrum lienem. *Membrana splen cingitur duplici ; ita & pyrum. Splenem sola componunt uasa : sic & pyrum. Vasa lienis infinite ramosa sunt : ita uero quoque se habet cum pyri uasis. Vasa lienis ultimo pulposa sunt ; similiter & pulpam spectas in pyro (I III).* Sed in malo persico ad putamen lapideum transeunt explicati pediculi canales : formaturi autem pulpam ex sola superficie petrosa nuclei ossei exeunt (v). Quin & in plantis terrestribus perfectis , umbelliferis in primis , apio , daucis , petro- & oreo-selinis , uasa respondent cum uasis sanguiferis corporis nostri (vi). Egregius autem clariusque nihil expetas , quam quod de rapis legitur : *Cauda & cortex rapae sunt complexus uasorum succosorum , amarum saporem praeparantium , non uero lympham uel aquam. Milleni canales repunt in rapa , colore albicantes , quique , subtili artificio , excarnati , sericum album repraesentant. Postea uidetur differentia inter uasa corticis & caudae , licet continua communicatione inter se committantur ; nam , dum caudam constituunt , linea recta incedunt ; quum uero ad corticem properant , mutant decursum , & , retis instar , intorquentur. Rapa ipsa est systema uasorum succosorum albicantium , dulcissimorum , quae , breues quidem , conum abscissum repraesentant , sed innumerae etiam sunt. Inter praeparandum rapam , destillat glutinosus humor ; ut & sensus albicans (vii).* Exin resultat momentosa propositio Anatomica : In uariis plantis ; immo & in uariis eiusdem plantae partibus , uasa succosa non uno modo incedunt. Inde uero redditur simile illud Physiologicum : A uario uasorum decursu ali-

quan-

(I III) Vid: responsio ad epist: BOHLII p: 7.

(v) Loco cit: ad num: III.

(vi) Loco cit: ad num: III. p: 9.

(vii) Ex dedicatione Curarum renouatarum.



quantum dependet humor lacteus in lactescentibus plantis; aureus in maiori chelidonio: sapor amarus in aloë: dulcis in rapa: huius plantae qualitas purgans: alius obstipans. Quare *Φυσιολογία* plantarum, tam parum adhuc exulta, *Φυσιολογίαν* humani corporis illustravit, ubi subtilissimus illam tractaret Rvvsch. In adeo promota plantarum Anatome nil amplius desiderare potest mortalis inquisitio, quam id, ad quod frustra adspiret, ut iniecta quaedam materia in maiores pedunculi uel folii uel fructus canales uascula capillaria explicet, generantia pulpam, uel folii, uel fructus; prouti spiritalia plantarum uasa mercurio hodie replet sollertia Physicorum. Quae ars quum in hominem cadere non possit, succosa foliorum atque fructus uasa, pulpa eorum ablata, conseruare cupiebat, id est, foliorum atque fructuum sceleta. Operi huic esurientia destinabat animalcula, pulpam quae uorarent solam, relictis succosis uasis; haec autem mandatorum non adeo exacte sibi conscia, ossa cum carnibus deglutiebant: pulpam cum uasis. Relegabantur ideo ex seruitio Rvvschiano imperiti atque inutiles hi satellites. Callosis tandem, rigidisque suis digitis subtilissimum negotium felicissime peregit senex (11X). In imagine specta *foliorum exuuias*, atque *pyri sceleta*; ea si parare per *Te* nescis (IX). Curiosum Tuum animum, ultima historia, oblectabo, quum utilitatem nullam perspiciam in insufficienter descripta obseruatione Rvvschiana. Audi; *dari plantas in aliis conclusas totas, per integrum uitae suae decursum, coelum quae adspiciant numquam; aquam quae hauriant numquam!* Id omnium admirationem prouocat; omnemque superat fidem. Plantas duas eiusmodi depinxit & descripsit Rvvsch. *Altera est aphylla, ramosissimaque; mollis; alba; flexilis; modice tenax. Altera est fistula, praecedente rarior, spithamum longa, omni ramo destituta, caua, crassitie scipionis;*

in

(11X) *Ibidem; & in resp. ad epistolam VATERI p:17.*(IX) *In figuris ad curas posteriores & renouatas.*



*in cuius cavitatis superficie, uno in loco, conspiciuntur multi sinus, uel impressiones, in agmen positae, quae semen sinapi recipere possunt, repraesentantque (quo augeatur miraculum) cryptas BOERHAAVEANAS (X). Hanc dixerunt πολυ- uel βιγαμίας plantarum. Adpellatione, admodum inconcinna. Sed quaenam fuerit plantae, illas suo sinu quae complectebantur plantas? An contenta adhaeret continenti, quo ab hac suum adipiscatur nutrimentum? An uero planta ita est in planta, uti nonnumquam tibia est in tibia, hac cariosa? Illud credo potius, atque rarum existimo spectaculum, ualde adultae opuntiae folia, inque sceleton formata siccataque, in tres, quatuorue lamellas, aut etiam in quinque, quae sibi mutuo, secundum longitudinem, incumbunt, separari a se inuicem posse (XI). Quin & notandum occurrit finienti, cryptas BOERHAAVEANAS in melonibus, peponibus, atque toto fere cucumeraceorum genere demonstratas esse a RVYSCHIO (XII).*

XX. Triplex, quod mihi in inuentorum RVYSCHIANORUM enumeratione constitueram, aliquatenus absolui argumentum. Adtuli praecipua. Blanditias omnes neglexi. Vera enim scribendo profumus semper. Scripta RVYSCHIANA citavi omnia; commendavi omnia. Illorum igitur, fat notorum, catalogus hic adtexeretur frustra. *Aduersariorum Anatomico-Chirurgicorum* continuationem praetulerunt pluri eruditi iteratae toties descriptioni *thesaurorum Anatomicorum RVYSCHIANORUM*, in quibus saepius legas iam lecta decies.

Qui uero ab arte sua obstacula nulla inuenit, is tamen ab aduersariis remoras sibi obiici sentiebat RVYSCH. Bonus scriptor numquam liber est ab impetibus. Dimicantes cum RVYSCHIO produxi BILSIUM, circa existentiam ualuularum, circa structuram uasculosam corticis cerebri; LI-

K

STERUM

(X) Resp: ad epistolam VATERI, p: 19. & in tabula.

(XI) Aduers: *Anatomico-Chirurg: Dec: III. n: II.*

(XII) BOHLIVS in epist: ad RVYSCH, p. 4.



STERUM, circa omnium de corporis humani ditione profligatarum glandularum imputationem; VIEVSSENSIVM, circa inuentionem uasculosae structurae corticis cerebri, renum, membranae, inter uterinam placentam atque uterum interiectae, atque uermicularium uasorum, internum uterum perreptantium: HOVIUM, circa primam detectionem partium quarundam interni oculi. Ubique uictorem circumtuli RVVSCHIVM. Soli hic succubuit RAVIO, dum de uera constitutione scrotalis diaphragmatis ferueret disceptatio. Sed cum BIDLOO lis nascebatur ex lite. Equidem ingens ille splendor operis BIDLOOANI impar est obfuscan- dis nimis enormibus erroribus, qui in Tabulis istis anatomicis continentur; vix tamen aequum erat, subornare iuuenes discipulos, qui, ubi RVVSCHIVM cupido incedebat, emendandi aberrationes BIDLOOANAS, illico conscribabant *problematicas epistolas ad RVVSCHIVM*, semper iniurias in BIDLOO, alia tamen laude conspicuum, neque iuuenili exponendum impetui. Iacturam temporis nimis luget, epistolas illas quisquis dignatur legere. Vnde fere dedecorum habitum, impressas ad RVVSCHIVM dirigere litteras; neu, aliunde non cognitus, ex fociis cognosceretur, fama ancipite. Ita laceffitus BIDLOO tam de cathedra, quam scriptis inuectus est in RVVSCHIVM, suasque huic opposuit *uindicias*. Quas excepit FREDERICI RVVSCHII *responsio ad GODEFRIDI BIDLOI libellum, quem uindicias inscripsit*. Non tamen inueni in hisce eristicis scriptis, siue morum, siue doctrinae exempla, quae excerpta hic proponere conduceret.

RVVSCHIANI nominis fama, orbem eruditum peruagata, Amstelredamum mox inuitabat omnes, se ipsos noscendi cupidos, atque praecipue Medicinam sectantes. Inde tot audiuerunt magistrum RVVSCHIVM discipuli, quorum & nonnulli nomen Anatomicam per peritiam suam adepti. Gloriosum id manebit semper RVVSCHIO, *corporis humani fabricam exposuisse PETRO PRIMO, MAGNO RVSSORVM IMPERATORI, qui intentissimo*



*auscultabat animo, super omnibus rogitabat sedulo, atque habebat in memoria semper, quod uiderat semel*(I). Dignum magnitudine animi IMPERATORIS de EO reliquit testimonium Praeceptor senex, quod singulari rerum Anatomicarum cognitione non Principes modo, sed & ipsos Medicorum plurimos anteierit (II), omniumque suffragio singulari eloquentiae flumine de rebus Anatomicis ita differere potuerit, ut Professoris disertissimi facundiam longe superaret (III).

Hi discipuli edocebantur Anatomem a RVYSCHIO, potius ex praeparatis, quam ex recentibus cadaueribus. RVYSCHIVS enim tantum temporis crassiori Anatomae, utpote nimis spurcae, tribuere non consuecebat, quam quidem praeparatis suis, quae nitide seruabat; ita aptabat, ut, quae natura sua horrere adsolent mortales, ad conspectum sui inuitarent illa eosdem; speciminibus saepe historiae naturalis, ut marinis plantis, cochleis, aliisque ornabat; prout *Thesaurorum Anatomicorum* figurae ostendunt. Inexpectatus enim euentus quum respondisset RVYSCHIANO labori; nec pauca per hunc innotuissent, a communi Anatomicorum opinione aliena; quo modo aliter sentientes cogere potuisset ad deserendas uetustate ac consensu plurimorum certas redditas sententias? Omni demonstrationi geometricae praeferebat suum: VENI ET VIDE!; domi ideo seruabat specimina: quae collecta in afferibus aliquot, THESAURUS ANATOMICO-RVYSCHIANOS constituebant, eodem descripta titulo. Hi patebant discipulis RVYSCHIANIS, & peregrinis omnibus, qui ardebant cupiditate ea lustrandi, quorum nulla alibi dabatur copia. *Bis, singulis hebdomadibus, modico aere soluto, ea inspicere poterat quisque* (III). Quum uero senex RVYSCH,

K 2

in-

(I) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: III.*(II) *Ibidem; Dec: I. n: I.*(III) *De utero musculi, p: 8.*(III) *Vid: SWAMMERDAM notas in prodrom: uan HORNE, p: 36.*



inter demonstrandum rariora sua, non posset intentos ubique amplius habere oculos, obrutus insuper spectantium adfluxu; *fures quandoque, qui pro amicis in conclauia Rvvschiana admissi erant, infanda audacia rapuerunt, exque aedibus abstulerunt, quae ipsis monstrauerat Rvvsch, ut uotis eorum satisfaceret. Neque his contenti rapinis, in alias deinde regiones & regna furto haec ablata circumtulerunt, pro suis ostentarunt, suaque arte & manu talia iaclarunt se parare posse. Vti infortunium suum circa penem, incredibili labore, summa cura, & euentu felicissimo praeparatum; nec non costas cum appendice carnea paratas tristis descripsit Ipse (v). Tali astutia quidam, quibus nec cadauerum opportunitas, nec artificiorum Rvvschianorum peritia; opes quasdam sibi clam collegerunt Anatomicas; thesaurulum uel thesaurulos.*

Horum auxilio praeparatorum, & PETRVS MAGNVS euaserat Anatomicus! Hic ergo specimina subtilissimae Anatomies suo habendi in imperio auiditate, augendique gazophylacium, PETROPOLITANAE ACADEMIAE usibus dicatum, quod non, nisi singularia atque eximia tenere debebat, *Thesauros Anatomicos Rvvschianos, triginta mille florenorum Hollandicorum, ni fallor, pretio coemit, atque Petroburgum transtulit. Migret iam Petropolim, ἀνθρώπων γενίαν qui addiscere cupit. Sic pauperem se Ipse reddebat Rvvsch. Ignominiosum tamen erat, incomparabilem artificem artis suae documentis uiuere destitutum; & Anatomicum sine praeparatis humani corporis partibus. Laboriosissimus igitur Rvvsch dies noctesque, occasiones omnes, neruos, aurum impendit, quo thesauros Anatomicos, Petropolitansimiles, consequeretur. Et consequutus est ultra fidem opulentos; inferiores quidem Petropolitansimiles, ἀνθρώπων γενίαν specimina si flagites; sed & superiores, quantum ad plantarum Anatomem. Euenit tandem, ut Illustris JOANNES HENRICVS de HEVCHER, Principis sui*

(v) *Aduers: Anatomico-Chirurg: Dec: II. n: IIX.*



*sui nomine, praeparata quaedam Anatomica rogaret a RVYSCHIO. Qui obsequiosus Dresdam mittebat illico membranam piam ex adulto; cranium infantis; cutem capitis pilis densissimis stipatam; foetum quinque uel sex mensium, colore niueo egregium; brachium infantis; cerebellum cum sua matre; atque alia; quae ita placuerant FRIDERICO AVGVSTO, Sarmatarum Regi; atque praesenti tum temporis Dresdae, quum aduenissent, FRIDERICO GVILIELMO, Borussorum Regi, qui praeparatorum RVYSCHIANORUM in thesauro Dresdensi defectum doluerat, ut AVGVSTVS, qua est munificentia, centum aureorum munere donaret RVYSCHIUM. Venum ergo exposuit RVYSCHIVS thesauro Regio omnem suppellectilem Anatomicam atque historiae naturalis, qua tota Ejus domus oppleta erat, bibliothecam instructissimam, immo artificium suum praeparandi atque conseruandi cadauera; & instrumenta. Adnuente his postea Rege, A: MDCCXXVIII. mense Octobre, Dresdam RVYSCHIVS misit ammanuensem suum (VI), JOANNEM CHRISTOPHORVM BOHLIVM, Doctorem Medicum, qui & uaria excarnata folia, uendentis nomine, thesauro offerret, quae inter unum praecipue erat folium, in duas diuisum lamellas, quarum altera uasis scatebat, uasis piae matris aemulis, altera uasis in arcus dispositis cineta: & de pretio conueniret. Immutata quidem & tunc erat propensio Principis; eandemque & tum exercebat munificentiam, qua usus erat semper AVGVSTVS; sique raritatem rerum perpendas atque copiam, aequum poscebatur pretium; erant tamen, qui cunctando, nescio qua de causa, omnem emtionis spem amputabant. Adflixit id plurimum & RVYSCHIUM, & Germanos, Anatomicos praesertim, suas suis in finibus ita qui contemplari potuissent delicias. Decedente RVYSCH, rariora Eius subiecta hastae, dispersa sunt undique (VII.) Neque regioni ulli artis suae testimonia negare poterat*

K 3

RVYSCH,

(VI) In respons: ad Epist: BOHLII, p:9.

(VII) BOHLIVS in epistola, ad me scripta.



RUVSCH, qui uiuus omnes doctrina cultos tractus nominis sui gloria impleuerat.

Quae officia in patria sustinuerit *Noster*, elocutus sum. Sed & exterae gentes honoribus adfecerunt *Eundem*. Adscitus enim fuit socius in *Academiam Caesaream Curiosorum*; inque *Regias scientiarum societates*, *Londinensem*, atque *Parisinam*. Atque in hanc quidem recipiebatur anno septimo & uigesimo huius saeculi, locum defuncti ISAACI NEWTON repleturus, nuntiante id RUVSCHIO *Illustriss. Comite de MAUREPAS* (IIX).

Si de facultatibus practicis animi RUVSCHIANI quaeris; scias, *Eundem* fuisse quam maxime religiosum; laboris amantissimum; frugalem neque umquam pecuniae prodigum; pro gentis suae more. Vti nouit *Dominus BRADLEY*. Ceterae animi dotēs ex scriptis eristicis RUVSCHIANIS pernoscentur.

Quum iam nimis grauis annis impar esset laboribus, quos iuuenis atque uir promte tulerat; aliis occupabat animum, qui sine laboribus se uiuere posse negabat. Vtque de *indagandis neruorum semitis* ne uerbum adiungam, tamquam de difficillimo negotio; describere tamen uolebat *rariora inuenta*, quae spectant morbosum hominis statum; uel, quo modo corpus hominis per annos sensim mutetur, quod in se tam annoso sene & experiebatur, & adnotabat (IX). Quin & novas ultimis annis de se habebat hypotheses. Sic naturae beneficium agnoscebat, quod semel in hebdomada aluum deponeret, mucumque recti intestini supplere putabat munia chyli, per meseraicas glandulas circumducendi, deficientes in senibus. Vnde illud intestinum noui coenaculi decorabat titulo, cuius uenae bibulae exsugerent liquorem omnem, in bonum corporis publicum (X).

Se-

(IIX) *In dedicatione Curarum renouatarum.*

(IX) *In respons: ad epist: BOHLII, p: 8.*

(X) *Ex citatis ad me datis litteris BOHLII.*



Senect̄a fragile corpus Rvyschianum multum debilitavit lapsus, non sine omni fracti colli femoris metu contingens; quum in hypocausto incedens cannulata stragula forte secum traxisset pedibus. Post haec gressus nullus: circumportandus erat senex sella undique. Vigente tamen & tum animo, Botanicas demonstrationes in horto Medico absoluit sellae adfixus; quem ipse A. MDCCXXIIX. ibidem ostendentem uidi *mentulam marinam*. Quo anno & perpetuum lectionum suarum Botanicarum finem fecit, demonstrando aroma spirantes *uerticilli in modum structas stirpes*. Simulque *deuoto pectore optauit, ut omnes tot inuentis litteratum orbem ampliarent, ac Ipse praestitit* (XI).

Quantacumque uero est humana aetas; mortale tamen nihil est his in terris. Sic & FREDERICVS RVYSCHIUS, mortalitatis legi subditus, uita, honoribus ac gloria faturus, exspirauit Amstelredami A.P.C.N. ∞ 1000XXXI, die secundo & uigesimo Februarii; posteaquam uitam duorum & nonaginta annorum, atque undecim mensium uixisset.

Quamdiu bonae artes amatae erunt gentibus: quamdiu aegritudinibus uexabitur humanum corpus, uexatumque medelam a peritis artis poscet: atque Medici, non sine morborum cognitione, medelam parare scient: neque morborum perspici ingenia poterunt, nisi per Anatomicen, in tam sublimi constitutam loco a RVYSCHIO: tamdiu grati recolent boni quique RVYSCHIANI nominis memoriam, meritaque RVYSCHII praedicabunt intelligentes. Haec uero qui legisti, monitum Te patere, ut RVYSCHIANA scripta, bonis ad censenda, euoluas pluries: addendis & perficiendis, quae *Noster* intacta uel impolita reliquit, sis intentus: semperque metuas Tuum  
quan-

(XI) *Ibidem.*



quantumcumque ingenium, expositum erroribus. De me uero puta, me solo amore in Rvyschium actum, haec posteritati commendare uoluisse.

JOANNES FREDERICVS SCHREIBER,  
REGIOMONTANVS.















